# DISSERTATIO

## HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

COLLECTANEA GYNAECOLOGICA

EX

TALMUDE BABYLONICO;

AUCTORE

**A. H. ISRAËLS.**

# DISSERTATIO

# HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS,

# DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

## COLLECTANEA GYNAECOLOGICA

EX

## TALMUDE BABYLONICO,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

*RECTORIS MAGNIFICI*

**HENRICI NIENHUIS,**

*Jur. Utr. Doct. in Facultate Jurid. Prof. Ordin.*
*Ord. Leon. Belg. Equit.*

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO FACULTATIS EXAMINI SUBMITTIT

ABRAHAMUS HARTOG ISRAËLS,

GRONINGANUS.

A. D. XV Martii A. MDCCCXLV. Horâ XI.

---

GRONINGAE,

Apud P. VAN ZWEEDEN, Bibliopolam.

VIRO DOCTISSIMO

# L°. ALI COHEN

S. P. D.

A. H. ISRAËLS.

Prorsus ineptus viderer tibi, si utilitatem et delicia Historiae Medicinae longo sermone tibi demonstrare conarer. Neque meum est, ad te hanc Dissertationem mittentis, meoque libello tuum nomen adjungentis, emolumenta enumerare omnia quae Historiae Medicinae cultores nostris praecipue temporibus arti huic salutiferae jamjam attulerint. Probe enim scio, mi COHENI! studium historicum semper tibi fuisse oblectamentum iis diebus ac horis, quibus Naturae ipsius indagationibus operam non navasti; et studiis laboribusque tuis multifariis interesse nemini certe magis quam mihi contigit. Scio itaque etiam illud, quod ab eo inde tempore, quo fata perscrutari inceperis quae Medicinae variis regionibus variisque temporibus contigerint, saepissime doluisti tot tantaque adhuc desiderari, et latere, scitu dignissima si Medicae artis inter gentes antiquissimas et antiquiores statum cognitum nobis habere velimus. Quanta enim, — ut inter populos Orientales modo Hebraeos afferam, — quanta adhuc sunt manentque indaganda, colligenda, comparanda, antequam nobis clara absolutaque Medicinae Hebraïcae

exhibeatur imago? Scio equidem multos, et jam ante longum temporis spatium, Medicinae conditionem inter gentem Hebraïcam exposuisse ope catalogi amplissimae librorum: sed haec Medicinam *biblicam* solummodo spectant. Maximi certe sunt faciendae istae indagationes, quas nos quoque debitis gratiis accipimus, verum limites sunt remotiores; labor et opus nondum his inquisitionis principiis ad finem est perductum. Gens Jisraelitica enim quandoquidem, uti notum, post aeram Biblicam per secula nonnulla libera suique juris adhuc exstiterit, desiderio capimur fata indagandi conditionemque ignorare nolumus Artis medicae qualis apud Hebraeos fuerit, juniore aetate quam biblico aevo: — cupimus nos edoctos fieri praesertim ea quae ad Medicinam Talmudicam pertinent. Medicinae Historiae cultores jam dudum sane hanc scientiae partem excoli quam maxime exoptaverunt, quippe qui compertum sibi habuerint in Talmude divitias cujuscunque generis latere quoque pro Historia Medicinae, quae in lucem collocari merentur studioque historico Artis nostrae perutiles erunt. Mirum tamen quod, quamvis omni tempore exstiterint èt Talmudis èt simul Medicinae multi viri peritissimi, perpauca tantum, ne dicam nulla omnino parabantur subsidia, quorum ope Medici Talmudis idiomatis imperiti, edoceri posent ea quae ad Medicinam Talmudicam pertinent.

Anno tamen 1743 in Academia Göttingensi doct. G. GINZBÜRGER dissertationem inauguralem defendit quae inscripta est: *Diss. exhibens Medicinam ex Talmudicis illustratam* (22 pagg. in 4^to^); hoc tamen opusculum auctoris peritiam satis demonstrans, nimia

cum festinatione tamen est conscriptum. Nemo itaque ex eo justam atque claram imaginem Medicinae Talmudicae acquirere posset: loca ipsa Talmudis recentiore linguâ non sunt versa, sed potius excerpta: quibus accedit incredibilis quaedam ἀκρίσια et multarum rerum omissio aliarumque momentosarum plana oblivio; — sic v. g. Artis Obstetriciae Talmudicae plane immemor est auctor. Dolendum ergo auctorem argumentum adeo amplum tam raptim tractavisse, ut nil fere inde redundaverit in historiae nostrae scientiae emolumentum. Sed pergam! Inter auctores anonymos WOLFF in sua *Bibliotheca Hebraea* enumerat opus quoddam מאה דפין (*Centum folia*), quo, uti ajunt, omnia quae in Talmude ad Medicinam spectant collecta sunt: — auctor libri *Seder Haddoroth* (*fol.* 170 *a. col.* 1.) eundem quoque citat librum. Doleo autem vehementer quod librum illum inspicere mihi non contigerit, licet multa hunc in finem tentaverim, tam in nostra patria quam in Germania. — Notulas obstetricicas quasdam, quae tamen anachronismis scatent, habet Cl. F. B. OSIANDER, in sua *Litterarische und pragmatische Geschichte der Entbindungskunst. Göttingen* 1799. *p.* 77. Auctor ille sine dubio ipsum Talmud non consuluit; et magnam historiae gentis Hebraeae cognitionem ei non fuisse, facile patet, cuique ejus verba legenti: »Von den gelehrten Muhamedanischen Arabern borg»ten ihre medicinische Weisheit die Juden der da»maligen Zeit, welche zu Sora in Asien eine Schule »für die Heilkunde hatten (!!). Aber aus den nach»gelassenen schriften jüdischer Aerzte jenes Zeitalters, »wie des MOSES MAIMONIDES, ABEN EZRA u. d. g. ist

»von der Entbindungskunst unter ihnen nichts unter»halten. Indessen kann man den Talmud, als das »Archiv der jüdischen Weisheit ansehen, welches »auch verschiedene, auf Geburten und Geburtshülfe »Bezug habende, physiologische Lehren enthalt, die »jedoch, wie z. B. die Behauptung des Auseinander»weichens der Beckenknochen in der Geburt (?!) »keine (?) sonderlichen Kenntnissen errathen." Vides iterum, amice! quantopere magni quoque viri errare possint si ex fontibus impuris hauriant, et quam necesse sit Historiographo, ut ipsos fontes adeat! — Relata partem peculiarem Artis nostrae, Artem obstetriciam spectant: sed vir Doct. et Rev. CARMOLY in diario suo *Revue Orientale*, *T. I. et sqq.*, sub titulo *Histoire des Médecins Juifs*, Medicinam Talmudicam magis universaliter quoque tractavit. Verum non solum nil inde haurire possumus, quo certiores fieremus de Arte obstetricia Talmudica, sed insuper de Medicis Talmudicis vel de Medicina Talmudica tam succincte egit, ut ille quoque spem fallat, si quis ab eo multum boni et certi exspectet! — ne dicam doct. CARMOLY non semper satis accurate argumentum tractavisse, eique fidem pluribus locis prorsus esse denegandam.

Atque haec fere sunt praecipua, quae ad nostrum usque diem de Medicina Talmudica in lucem prodiisse videntur. Quanti autem hi fontes habendi sint, tuo judicio submitto!

Anni tres jam praeterlapsi sunt, quum, te adhortante, una tecum nonnullisque aliis Litteraturae Hebraïcae cultoribus, fundaverimus Sodalitium *Pro*

*Excolendis Litteris Hebraïcis* Haudquaquam hujus loci est in mentem tuam revocare quantum in deliciis nostris fuerit haec societas; neque memoriae tuae renovare opus est, quantae voluptates, quantumque emolumentum ad diem hodiernum usque haec societas omnibus suis sociis praebuerit! Meministi certe horum nostrorum studiorum, suaviumque nostrarum *Horarum Hebraïcarum*. Et uti tibi, sic mihi quoque persuasum erat studiis meis medicis Hebraïcarum litterarum studia prodesse posse. Dictum, factum. Te suadente, animo tum concepi vires eo intendere ut exponerem, quantum fieri posset, fata Medicinae inter Hebraeos, et indagarem modum quo Hebraei Medicinae profuerint eamque coluerint. Hisce studiis occupatus, brevi autem mirabar ingentem copiam opusculorum a Medicis aliisque viris eruditis scriptorum, quae vel totam Medicinam *biblicam* vel versus nonnullos S^ae^. S^ae^. modo qui ad Medicinam spectant, pertractaverunt. Studiis meis autem trans aeram biblicam sese extendentibus, Talmudisque aetatem imprimis spectantibus, terram inveni incognitam fere atque incultam, nullumque fere reperi ducem *fidelem* qui viam mihi monstraret quam tutus ingrederer. Dubius tunc diu haesi, num viam inchoatam persequerer, vires meas nimis teneras sentiens ut talem laborem in me susciperem. Te autem imprimis adhortante, manum ad operam admovi et ipsum Talmud pervolvi; sed quoniam, pro conscribenda Dissertatione, tunc quoque nimius foret laboris ambitus, si solius Talmudis Medicinam totam peragerem, nil supererat quam ut amicorum voto responderem, solamque *Gynae-*

*cologiam Talmudicam* ederem. Non opus est tibi varias enumerare difficultates etiam istius laboris: cognitum enim est tibi, Amice! quantae molis fuerit totum Talmud perscrutari, ut omnia colligerem, quae ad rem meam facerent. Consului, — uti comperies, — solummodo Talmudis recensionem Babylonicam, magis completam extensioremque alterâ recensione Hierosolymtanâ. Usus sum editione Talmudis Babylonici Amstelaedamensi, XII Tomis, folio edita a Fratribus PROOPS, a$_{o}$. 1750-1765. Loca ipsa, quantum fieri potui, *verbotenus* reddidi, elegantiam styli Latini veritati sensuique textûs lubenter sacrificans. Omni sensui verborum, ex Talmudicorum scribendi dicendique modo succincto et conciso, obscuriori notulas adjeci, quibus difficiliora in clariorem lucem collocarem. Quodad explicationes meas, ego etiam explicavi »non certo ut sint et definita omnia, sed ut unus ex homunculis probabilia conjectura sequutus." Addidi simul annotationes quasdam quibus textus melius intelligeretur a lectore Hebraeorum historiae minus perito. Si autem expectes, me simul ex Medicina illustrasse praecepta varia diversasque consuetudines religiosas a Talmudistis imposita feminis Jisraëliticis, falleris: — illud argumentum nimirum variis ex rationibus tangere nolui. Et id quoque insuper tibi persuasum esse velim, me Talmud perlegisse et consideravisse eodem modo quo alios *Medicos* veteres perlegerem et considerarem.

Verum haec nondum sufficiebant. Critices enim momentum et dignitatem maximi quum habeamus, omnia fere quae collegi, comparavi cum scriptis

aliorum Medicorum veterum, praesertum Graecorum et Romanorum. Quibus indagationibus imprimis id mihi volui, ut exinde pateret, utrum Talmudistae autodidacti fuerint, an vero omnia quae nostrae memoriae prodierunt circa rem gynaecologicam, flosculi essent peregrini, sed propria cultura mutati vel alienati? Sed quum nil prorsus novi sit sub sole, et quum multa ut nova et antea plane incognita proclamentur, quae tamen ante secula multa jam fuerant proposita et descripta, simul in meo opusculo levi saltem penicillo adumbrare conatus sum, quanti aestimanda sint varia Talmudicorum placita, ex mente hodiernae scientiae. In Capite denique ultimo, ob materiae tractandae dignitatem prolixiorem me fuisse, certe aequo feres animo!

Atque haec sunt, quae ortum et naturam hujusce opusculi explicant. Equidem optime scio atque persentio multa in illo desiderari, aliaque forsan a me non bene fuisse intellecta, aut male tradita: — sed »res ardua est" — ut PLINIUS ait — »vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem." Si itaque has pagellas perleges, a te rogo atque iterum rogo, ut cogites opus illud modo conscriptum esse ad excitandos alios peritiores, qui suo ingenio suaque doctrina in lucem clariorem collocarent, quae ego tractavi, et praesertim ea quae a me non sunt tractata, — et quanta haec sint, non opus est quod tibi dicam. Neque denique tanta Litteraturae orientalis cognitione me instructum esse glorior, ut omnia a me bene intellecta esse crederem aut confiderem.

Atque haec de opusculo ipso tibi praemonere volui, reliqua ipsum opus docebit; cui praeterea adjunxi quasdam Emendationes necessarias, quas ne praetereas quaeso!

---

Antequam vero finiam, tibi profiteri gratus animus me jubet, quot quantaquae in hoc opusculo elaborando fuerint consilia, quamque utiles admonitiones, quibus exoptatissimus et meritissimus praeceptor cl. DE LA FAILLE sibi me devinxerit. Quantum insuper ei debeo, qui semper mihi exstitit studiorum dux certus, laborum fautor benevolus et praeceptor amicus! Optimus praeceptor id sibi persuasum habeat velim, numquam me futurum esse immemorem talis erga me humanitatis talisque liberalitatis, non solum per totum vitae meae Academicae decursum, sed praesertim quoque in conscribendis et edendis hisce pagellis.

Devinctum autem etiam me persentio Viro Clarissimo JUYNBOLL, peritissimo litterarum orientalium in nostra Academia professori, pro auxiliis et consiliis egregiis, quibus me honoravit, quum eum adirem rogatum ut praeclaro ejus ingenio res obscuras mihi illustraret. Neque eum plane rejiciendas habiturum esse meas qualescunque perquisitiones, spero atque consido, quemadmodum Literaturae universali pro quadam saltem parte, quoque non plane inutilia sint quae concripsi!

Quantum vero tibi debeam, mi COHENI! pro tot tantisque integerrimae amicitiae testimoniis, verbis ex-

primere prorsus nequeo : — gaudeo autem inter amicos verbis opus non esse ut amicitiam illibatam, constantem et indefinitam inter se profiteantur. Quantopere tu me colueris veramque Medicinae tractandae viam mihi ostenderis, quantopere ego te invenerim amicum certissimum in re certa et incerta, quisque meorum studiorum dies, ab initio vitae academicae inde, testari potest! Amore scientiae et Artis salutiferae quotidie me imbuisti, teque duce viam mihi parare studui ut investigarem Naturam sanam morbosamque: — nullus fere praeteriit dies, quo tecum non instituerim observationes sive experimenta in largissimo Medicinae campo... Sed taceam! Id autem tibi valedicens pronuntio: Quoquoversus fata umquam me ducent, tecum semper mihi eadem amicitia eademque consuetudo intercedant, precor! Quidquid autem anni ferant, sint tibi fausti et fortunati! Vale et fruere!

Scripsi *Groningae* Idibus mensis Martii MDCCCXLV.

# CONSPECTUS.

# PROLEGOMENA.

# I.

## DE MEDICINA BIBLICA IN UNIVERSUM, ET DE ARTE OBSTETRICIA V^is T^i. IN SPECIE.

### § 1.

*Medicinae biblicae origo.*

Quisnam initia rerum cognoscit? Quis valet in tenebras penetrare quae omnium artium scientiarumque originem ambeunt? Hominis id non est! Neque magis Medicinae! Ratio nos docet, hominem qui suo intellectu bonum a malo distinguit, suâ sponte, oborto morbo, Medicum esse factum; quia omnibus innata est facultas mala avertendi, igitur morbos, — bonaque appetendi, quorum sanitas summum est: ita ut morbis infesti omnes intenderint vires ad illos debellandos. Atque hic Medicinae ortus: quivis ex semet ipso, ex sua natura erat Medicus. Sic summus Cous: »magnum," inquit, »est artis exsis»tentis argumentum, et quod inter praeclara habendum »sit, quando qui ne eam quidem esse exsistiment, ejus »ope servati conspiciuntur. Qui enim, etiam non adhibitis

»medicis, ex morbo convaluerant, ut intelligant omnino »necesse est se quod aliquod vel fecerint vel non fece»rint idcirco sanitatem esse consecutos" 1). Medica ars igitur una fere cum gente humana videtur orta.

Causas omnium malorum homines Deo, ut boni malique auctori, tribuebant, et ita quoque morbos populi antiquissimi Diis iratis adscribebant. Hinc magna illa necessitudo apud omnes populos antiquos inter religionem et Medicinam; hinc in Aegypto sacerdotes agebant vices medicorum, hinc in Graecia Deorum templa erant vera nosocomia, in quibus A e s c u l a p i u s invocabatur et aegroti undique congregabantur.

## § 2.

*De medicina ex Vetere Testamento.*

Quum omnes antiquissimi populi illam morborum originem opinarentur, non mirum, in Sacro Codice, nempe Vetere Foedere, Deum ipsum haberi auctorem omnium morborum, quibus Jisraëlitae infestarentur. Praecepta Dei pie et religiose insequentes, ab omni morbo immunes manerent 2); Deo autem non obedientes cujuscunque generis calamitatibus affligerentur 3).

Id non solum de populo in universum valebat, verum etiam de singulis et nonnullis; quemadmodum illud de Ijob*o* 4), de Mi r jam*o*, M o s i s sorore (*Numeri* XII. 10.)

---

1) *De arte.* H i p p. *opp. omnia. Edit.* F o e s i i. 1595. *Sect.* I. *p.* 4).

2) *E x o d.* XV. 26.

3) *Levitic.* XXVI, 14-17. *Deuteron.* XXVIII. 20, 21, 27, et alibi passim.

4) Saltem ex mente amicorum, non autem ex opinione ipsius aegrotantis.

de rege Säulo (I Samuel. XVI. 14), aliisque multis relatum legimus: imo propter peccata unius hominis, imprimis qui auctoritate excellebat, Epidemias toti populo Deus infligebat. (II Samuel. XXIV. 12-16).

Non solum autem morbos misit Deus, eos etiam curavit. Curabantur tamen ab Eo non immediate, sed mediate, et quidem intercedentibus iis, quibus major erat cum Deo consuetudo, nempe sacerdotibus et postea nonnunquam etiam prophetis. Quamdiu inter Hebraeos pura exstitit Theocratia, omne medendi officium penes sacerdotes, vel prophetas remansit: — quum autem hanc puram Theocratiam, electis regibus, populus infregerat, non solum sacerdotes, vel alii homines in religionis officia incumbentes, aegrotis consuluisse, verum etiam alii vulgares rem medicam factitasse videntur.

Medicos autem jam ante exitum ex Aegypto inter Hebraeos exstitisse, non nisi conjecturis assequi possumus. Sic agit S. S. de medicis (רופאים), qui perunxerunt corpus mortuum Jacobi patriarchae, et Ijob (XIII. 4.) suos amicos nominat medicos imperitos. Ex posterioribus tamen temporibus narratur, regem Asam non sacerdotibus sed medicis usum fuisse; (II Chron. XVI. 12.), etiam Jeremja (VIII. 22) et Sirachides (XXXVIII. v. 1-13.) de medicis loquuntur. Nonnulli sunt qui perhibeant, pharmacopolas inter Hebraeos exstitisse, unguentis et emplastris parandis operam dantes; quam tamen sententiam vix meam facerem, voce רקח potius intelligens conditores et venditores aromatum, pro suffitu in templo, et usu mulierum. Nullibi tamen medicorum munus, remedia vel instrumenta perspicue

descripta legimus: neque mirum; S. S. enim non quidem certiores nos facere intendit de morbis populorum, quorum fata narrat, sed tantummodo exponere modos, quibus Deus hominibus provideat eosque curet.

Quae in V. T. Epidemiae descriptae sunt, in universum valde succincte traduntur. Fuse tamen memorantur Lepra variaeque ejus species (*Levitic.* C. XIII et XIV). Alii morbi, de quibus ibi sermo est, reges vel alios homines illustres affecerunt, et tunc historicae rationis magis, quam scopi cujusdam medici gratia descripti sunt. Moses ipse tamen artem medicam sui temporis prae aliis cognovit; eumque a sacerdotibus Aegyptiacis hanc didicisse, non opus est ut moneam, dum ipsa vitae historia et legislatio abunde id probant. Horrendae Leprae descriptinem Mosaicam imo multis in partibus hodierna etiam experientia probat et confirmat; curandi tamen methodus, quae ibi significatur, mere fuit diaetetica; idque ideo, ne malum per totum populum latius se extenderet. Ceterum Moses multas tulit alias leges et praecepta diaetetica; v. g. legem abstinentiae ab usu nonnullorum mammalium, avium et piscium, legem lotionis illorum qui morbo genitalium fuissent correpti, cet. Neque alius fuit curandi modus ceterorum morborum, qui hic et illic in V. T. memorantur: interna remedia fere non propinabantur, externa saepius 5); plerumque sacrificia et preces id debebant efficere quod humana mens perficere non posset. Medicinae politicae et forensis vestigia in V. T. non

---

5) Rarissime tantum mentio fit de quodam remedio. Inter remedia autem Balsamum Gileadense maxime salutare aestimabatur in vulneribus sanandis (Jerem. XLVI. v. 11). Alia remedia nonnulla hic illic citata invenies: v. g. II *Reg.* XX. 7. *Proverb.* XVI. 24. *Tobias* XI. 6. 10. cet.

desiderantur. Ad haec referrem praecepta de signis virginitatis, de stupro, de incestu, de prostitutis, de variis corporis laesionibus, de sepultura suspensorum, cet 6).

§. 3.

*De arte obstetricia ex V. T.*

Haec sufficiant de Medicina Biblica. Videamus nunc quid in S. S. scriptum sit de arte Obstetricia. Ab initio rerum inde auxilium afferebatur feminae parturienti, quia partus ipse normalis et facilis auxilio non plane orbatus esse potest, nec sibi soli in omni casu parturiens potest curare. Insuper partus difficiles humani generis sunt; ex corporis fabrica et vivendi more prae animalibus: ipsamque hanc difficultatem exortam fuisse, quod Adam et Havva (Eva) Dei mandato obtemperare et obedire noluerint, auctor libri Geneseos ex illius temporis cogitandi ratione refert his verbis, *(Genes.* III. 16). »Deinde ad mulierem: ego te multis doloribus (inquit) »aerumnisque adficiam: tu natos cnm dolore paries, et „pendebis a viro tuo, tibique ipse imperabit" 7). Nonnulli hanc ob rem Adam*um* vocarunt: „obstetricatorem et umbilici sectorem primum, et statuunt illum primogenito funiculum umbilicalem lapide acuto cecidisse, filo plan-

6) Fusius de medicina biblica cf. Schmidt: *Bijbelsche Medicus*; Mead: *Medica sacra cet.* Amstel 1749. N. D. Sybrandi: Diss: *de necessitudine quae fuit apud veteres inter religionem et Medicinam.* Amstel. 1841. J. P. Trusen: *Biblische Krankheiten.* Posen 1843. etc.

7] Exceptis versibns Gen. XXXVIII v. 27-30, pro omnibus allatis locis biblicis usus sum interpretatione Sebastiani Castellionis ex *Ed. Lipsiensi* 1778

tari subligasse, abstraxisse vel demordisse (J. Z. Platner: *de arte obstetrit. veterum. Lipsiae* 1735. p. 3.) Quae conjectura si vera foret, unicus esset in Sacro Codice locus, quo virum inveniamus parturientibus adstantem; dum ubicunqne feminis feminas adstitisse in eo videmus. Abrahami v. c. familia nomadicam vitam agens, habebat obstetrices: sic in partu difficili Racheli, patriarchae Jacobi uxori, (*Genes.* XXXV 17.) et Thamari (*Genes.* XXXVIII. 28) femina adstitit „quae parere facit" quae „adjuvat in pariendo" (מילדת). Dein quoque rex Aegyptiorum Pharao *obstetrices Hebraeas* advocavit, easque jussit masculos inter pariendum necare; (*Exod. I. vs.* 15. *sqq.*) cet.

Porro solebant infantibus umbilicum abscindere; lavabantur recens nati ut fortiores fierent, sale conspergebantur, et linteaminibus involvebantur. (*Ezech.* XVI. 4.).

## §, 4.

*Casus partus difficilis in V. T.*

Occurrunt in V. T. ipso jam tempore simplicissimae vitam agendi rationis, casus nonnulli partûs difficilis, inter quos partus, quo Rachel obiit; partus porro Thamaris, et partus uxoris Phinchasi, filii Elii pontificis.

Casus Rachelis ita describitur (Gen. XXXV. 16, 17, 18.): „Quum autem Bethele profecti ab „Ephrata una statione abessent, peperit Rachel, „et quidem difficulter. In quo partu quum aegre eniten„tem obstetrix sine metu esse juberet, quod is quoque „mas esset: illa animam agens (nam in eo nixu mortua

„est) natum Benonim vocavit;" id est *filium dolorum*, hoc nomine significans quaecunque filii gratiâ pati debuerit. Nos docet hicce casus, quam parum illo tempore exculta fuerit ars obstetricia: illi Rachel*is* partui certe comitabantur plura praeter consuetudinem: Rachel enim antea sterilis, et ideo invidiosa erga sororem Leah, (*Gen.* XXX. 1), forsan jam provectioris fuit aetatis, primogenitum Joseph*um* partu edens. Secundi partûs tempore, (ex computatione Bonfrerii quinquaginta annos jam nata), multis etiam ex itinere difficultatibus praegressis, viribusque post diu protractos dolores exhaustis, atoniâ uteri, forsan quidem haemorrhagiâ, in pariendo mortua est; quibus mederi ignorabat obstetrix, parturientem modo spe partûs instantis, consolans „ad egredientem usque ejus animam;" — quia illo tempore obstetrices doctrinam perduxerant ad solam confidentiam viribus naturae, consolationem et patientiam (Conf. quoque Osiander; *Pragmatische Geschichte pag.* 44 et von Siebold: *Geschichte der Geburtshülfe I. p.* 34 *et* 35).

Alter casus Thamar*is*, qui occurrit in eodem libro *Geneseos Cap.* XXXVIII. v. 27 - 30, ita describitur: „Et quo tempore pariebat, et ecce! gemini (erant) „in ventre ejus. Quum autem pariebat, et porrexit (dedit) „manum. Hanc igitur obstetrix corripuit, eique alligavit „(filum) coccineum, dicens: „iste egressus est primus." „Et fuit cum retraxerat manum suam, et ecce! egres„sus est frater ejus et dixit (obstetrix): „quid rupisti! „super te ruptura! 8) et vocavit nomen ejus Pharetz

---

8) Alii habent: »*quare propter te rupisti talem ruptura*" quod

»(*ruptura*,). Et postea egressus est frater ejus, »in cujus manu erat (filum) coccineum, et vocavit »nomen ejus Zarach." Est probabiliter casus versionis spontaneae, ante nostram aetatem vix bene cognitae: prioris enim infantis prolapsa est manus, ad quam obstetrix adnexuit filum rubrum, quo dein pateret illum infantem primum exiisse, igitur esse primogenitum; hic autem postea sponte manum retraxit, et alius infans venit. Cl. Slevogt 9) ex ultima parte versûs 29 putat, illo partu perinaeum fuisse ruptum; et quidem talem adfuisse rupturam, quae nomine *rupturae perinaei centralis* venire solet, adeoque infantem fuisse natum trans perinaeum. Hujus quoque abnormis partus speciei nostra aetate nonnullos casus varii autores publici fecerunt juris 10). Verum huic sententiae Cl. von Siebold (l. c. p. 36) assentiri nequit, opinans rupturam, cujus ibi fit mentio, fuisse rupturam velamentorum, et infantem alterum facile nasci potuisse, quia prior infans, manum porrigens, nondum descenderat in pelvis cavitatem,

---

tamen vero sensu minus convenire puto: — verti uti Danz, Doctores Anglici, Mendelssohn aliique, idque etiam melius accommodatum esse sensui videtur. — Sensus igitur est: »*Quare te ita festinas! tibi incumbit ruptura!*"

9) *Prolusio inaugur^is de partu* Thamaris *difficili; et perinaeo inde rupto. ad.* Chr. G. Koch: *diss: exhibens foeminam molâ laborantem.* Jenae 1703.

10) Cf. Busch *und* Moser: *Handbuch der Geburtskunde in alphabetischer Ordnung. Berlin. 1840-42. Bd. II. p. 7. sqq.* ubi plures tales casus memorantur.

quae ceterum fuisset satis ampla, quia gemelli vulgo corpore sunt minores. Haec omnia licet vera sint, attamen cum cl. von Siebold facere vix possum. Rupturam enim velamentorum cognoverit sane obstetrix: res nempe perquam vulgaris et est notissima. Si animadvertimus, verbum Hebraicum פָּרַץ, fere semper significare; *aliquid impetu, vi rumpere*, (cf. *Nehem.* III. 35. *Jesaj.* V. 5. *Eccles.* X. 9.), et perpendimus Thamar*em* tunc primiparam fuisse, neque amplius in flore aetatis (uxor enim jam fuerat duorum fratrum Onan*i* et Er*i*) tunc mihi non videor longe a vero discedere, si aliqua ex parte cl. Slevogt assentior; non vero ei concedo rupturam *centralem* perinaei. Hicce erim casus agit de femina primipara, ut videtur aetate jam quodammodo provecta, de infante cum vi et impetu exeunte, sustentatione perinaei procul dubio neglecta: novimus nimirum, feminarum primipararum *ejus* aetatis perinaeum saepe esse rigidum, et sic facile ad rupturam esse dispositum, imprimis si non bene sustentetur. Accedit altera causa satis frequens rupti perinaei, si infans celerius exit nec debitas situs mutationes perficiens. (Vid. Busch *und* Moser. *l. c, Bd. II. p.* 13.). Ex quibus omnibus concludo casum Thamar*is* pertinere ad versiones spontaneas cum ruptura perinaei, a frenulo pudendorum incipiente.

Partum gemellorum, aliquo sensu etiam abnormem, narratum reperimus *Gen.* XXV. 24. sqq. Agitur nempe de Rebekka, patriarchae Isaäc*i* uxore, quae gemellos enixa fuit, cujus prior rufus et omnino pilosus

erat, et alter situm habuerat perversum, manu nempe praevia calcem fratris tenente.

In libro I. Samuel, cap. IV. 19 *sqq.* memoratur partus, quo obiit uxor Phinchae; quemque auctor hujus libri ita descripsit: »Ejus quoque nurus, Phinchasi uxor, »gravida, et jam vicina partui, postquam captae arcae »Dei mortuique soceri sui atque viri famam accepit, »doloribus correpta subsedit 11) atque peperit. Quam »moribundam quum hortarentur quae adstabant, »ut bono esset animo, filium enim peperisse: illa »nihil respondit, neque animadvertit." E sensu verborum, »convertebantur in eam dolores ejus" nonnulli, vocem צירים Talmudico sensu accipientes, et *orificium uteri* vertentes, contendunt, feminam retentione placentae fuisse mortuam (Abarbanel). Siquidem vero sequens versus mortem feminae memorat, ea verba modo hic adducta censerem, ut causa pateret subiti illius partûs: accedit, semper in V. T. τὸ צירים tali in casu significare *dolores ad partum*, et nihil aliud. (*Jes.* XXI. 3. XIII. 8 *Dan.* X. 16. *etc.*) Magis ergo haec mihi placeret explicatio: dolores subito fuisse obortos et quidem magnâ vehementiâ, cujus causa fuit animi pathema; hic igitur locum habuisse Hyperdynamiam uteri, quam vulgo sequitur adynamia, paralysis uteri, haemorrhagia atonica, et mors ex virium exhaustione. Hicce casus iterum probat, quam parum auxilii feminae adstantes vel obstetrices attulerint, praeter solam consolationem!

---

11) Proprie: »*nam convertebantur in eam dolores ejus.*"

§. 5.

Inter varias M o s e s institutiones, nonnullae quoque occurrunt quae feminas ipsas spectant. Ad has referendae imprimis diaeteticae illae leges, quas M o s e s tulit de feminis menstruantibus et puerperis. Illis sequentia posuit legislator: (*Levitic.* XV. 20. sqq.): »Mulier, quae patietur menstrua, fluente ex ejus corpore »cruore, septem dies seorsum degito: eam quisquis teti- »gerit, pollutus esto ad vesperam. Quacumque in re »decubuerit, donec in menstruis erit, ea res polluta »esto: cuicumque rei insederit, ea res polluta esto. »Quisquis ejus lectum tetigerit, vestimenta sua lavato, »aquaque perluitor: et ad vesperam pollutus esto." Vs. 25 »Si vir cum menstruali cubuerit, et ejus menstruis con- »tactus fuerit, septem dies pollutus erit: omnisque lectus, »in quo is cubuerit, pollutus erit. Mulier, cui cruor de- »fluet complures dies alieno a menstruis tempore, aut »cui ultra menstrua defluet, toto illius immunda fluxus spatio, perinde ac menstruorum tempore, polluta esto. »Omne cubile, super quo decubuerit, quamdiu fluxum »patietur, eadem conditione habetor, ac cubile mensium. »Omne utensile, super quo sederit, pollutum esto, perinde »atque in mensibus. Quisquis ea attigerit, polluetur, »vestimenta lavato, aquaque perfunditor, et ad vesperam »pollutus esto. Quod si fluxu purgata fuerit, agat dies »numero septem, et ita demum pura esto." Mulier tali haemorrhagiâ inquinata, sacrum quid facere debebat, forsan quia auctor horum praeceptorum talem haemorrhagiam habuit morbum genitalium. Similem opinionem

*Mosis institutiones de feminis menstruantibus, fluentibus, et puerperis.*

veteres fere omnes fovebant 12); quin hodieque disputatur, num quidem coïtus cum femina menstruante sine omni periculo sit nec ne. Iis autem legibus non solum videtur inesse utilitas quaedam physica, sed etiam moralis: horrore enim immunditiae, et timore eorum quibus homines ad bruta accedant, Moses, legislator sapientissimus, populi sui cupiditates et libidines quantumpote coercere voluit vinculisque restringere. Jisraelitae „filii Dei" sacri debebant esse coram Deo, qui Ipse sacer est. (L. Philippson. *Die Israëlitische Bibel etc. I. Leipzig* 1844. *S.* 626.). Posteriore tempore Rabbini, exemplum Mosis sequentes, illa praecepta latius extenderunt 13).

---

12) Plinius. *Histor. Natural. Lib. VII. c. 15*: »Nihil inquit" facile reperiatur mulieris profluvio magis monstrificum. »Acescunt superventu musta, sterilescunt tactae fruges, moriuntur »insita, exuruntur hortorum germina, et fructus arborum, quibus »insidêre, decidunt; speculorum fulgor adspectu ipso hebetatur, »acies ferri perstringitur eborisque nitor, alvei apium emoriuntur, »aes etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus aera" cet. — Etiam Aethiopes, multique alii populi inculti mulieres in tali conditione versantes, separant et impuras habent. Nunc imo in plurimis Europae regionibus, in nostra quoque patria, vulgus menstruantes feminas ad saliendam carnem vel condenda legumina, aliaque, non admittunt; quia sanguis ea ratione excretus creditur impurus, dissolutus, venenatus, a qua nociva materia corpus per illam *depurationem* (uti quoque vocatur) liberatur, quum feminarum illarum praesentia fermentationi et incremento nocere deberet. Est profecto opinio praejudicata, nullis nitens factis, cui nimiae patriae munditiae tamen condonari potest, quippe non nocenti.

13) Vide *Talmud Babylonicum*, passim, et praesertim Tractatus *Nidda* (*de menstruantibus feminis et menstruatione*) et *Sawin*

Eaedem fere rationes legislatorem compulisse videntur, ad sequentes ferendas leges de feminis parturientibus (*Levit.* XII. 2. *sqq.*). »Mulier, quae concepto se»mine marem pepererit, polluta esto septem dies, vi»delicet pro ratione spatii, quo in menstruis esse solent. »Octavo die circumcidatur fetus membri praeputium. »Ipsa triginta tres dies in cruore purificationis suae esto, »neu quid sacrum tangito, neu in sacrarium intrato, »nisi confecto ejus purificationis spatio. Sin autem »feminam ediderit, bis septem dies polluta esto: hoc »est, bis tamdiu, quamdiu durant menstrua, ac sex et »sexaginta dies in cruore suae purificationis esto."

Profecto suspicor, hasce leges ferentem legislatorem iisdem rationibus fuisse ductum, quas secutus est in legibus de feminis menstruantibus et fluentibus. Singularis tamen videtur differentia inter dies purificationis post partum puellae vel pueri, in priore casu nempe 66, in posteriore 33 dierum. 14). Idem consilium ad

---

(*de fluentibus*). Cf. Maimonides in *Jad Hachasaka*: *Hilchoth Issure Biah Joreh Deah*: *Hilchoth Nidda*, aliosque multos.

14) Auctor libri *de natura pueri* fere idem statuit, dicens: »cujus rei fidem faciunt partus purgamenta, quae quidem si »suscepta puella fuerit, duobus et quadraginta diebus contingunt, »si vero masculus editus fuerit, quam longissime triginta diebus" (Hippocratis. *Opp. omn. Ed.* Foes. *1595. Sect. III. p. 19*) Arcte quidem cohaeret, uti videtur, doctrina haec cum illa quam veteres de discrimine incrementi puellae et pueri somniàrunt; et forte quoque in illo climate calidiore lochiorum fluxus diutius protrahitur quam apud nos. Talmudici rationem peculiarem citant, quare puerpera piaculum ferre debebat (*Nidda*, *fol. 31. b.*) »*Rogarunt discipuli* τῷ R. Schimeon *filio* Jochai: *quamo-*

has leges ferendas habuisse videtur Moses, uti ad illos de menstruantibus, sed magis explicite; sacrificia quae, diebus purificationis absolutis, ferre debebant, id satis probant 15).

## §. 6.

*Epilogus.*

Haec sunt quae exordii adinstar, de arte obstetricia e V. T. dicenda habui. Parum quidem ad artis obstetriciae historiam literariam faciunt; id tamen ex iis colligere possumus, obstetricantes feminas semper adstitisse parturientibus, virorumque auxilium fuisse damnatum. Ad quod efficiendum, multum sane contulerunt etiam pracepta de purificatione parturientium, uti et feminarum menstruantium. In illis regionibus calidis, Aegypto, Palaestina et Arabia, mundities corporis non satis umquam curari potest; et hoc praesertim modo Moses, de hac re adeo sollicitus, optime cavere potuit, ne isti propagarentur morbi contagiosi, qui saepissime hasce fertiles regiones devastant et depopulantur.

---

»*rem dixit lex, a puerpera sacrificium esse ferendum? Dixit iis:* »*hora illa qua inclinet ad pariendum concludit et jurat: se marito* »*non iterum agressuram*" et quum post partum mulierem juris jurandi illius poenitet — hanc ob causam dixit Lex, afferat sacrificium. . .. »*Et quare dixit lex: mas ad septem et puella ad qua-* »*tuordecim* (Respondet) *Mas: de quo omnes laetantur, foeminam* »*jam poenitet die septimo* (juris jurandi); *puella, ob quam omnes* »*moesti redduntur, foeminam poenitet ad quatuordecim!*"

15) Fusius de praeceptis illis agit doct. Sybrandi; Diss laud. p. 58-67.

# II.

## DE TALMUDE EJUSQUE CONFECTIONE 1).

### § 7.

*Traditionis origo.*

Post innumeras fatorum vicissitudines, secundas et adversas, post fertilissimae regionis possessionem decem fere saeculorum, gens Hebraea e patria sua est expulsa, templo Dei in cinerem verso, Hierosolymis devastatis, ipseque demum populus inter alias gentes dispersus. Annis fere ducentis ante, magna pars gentis Hebraeae in Assyricam captivitatem fuit ducta, et tandem Judaea ipsa hostibus fuit demolita, incolaeque permulti in Babyloniam in exsilium fuerunt ejecti.

---

1) Ratio, qua incitatus sim ad sequentia hic inserenda, haec est, ne quis lector de argumento et origine Talmudis esset incertus. Lectoribus igitur, quibus non vacat, neque animus est, operam dare historiae literariae gentis Jisraeliticae, haec paragraphus notitiam praebet necessariam ipsius Talmudis, quod fons est hujus dissertationis: — Literarum Hebraicarum periti hanc, nihil novi quippe exhibentem, omittant. Fontes et duces mihi fuerunt praesertim: Flavii Josephi *opera;* — *ipsum Talmud Babylonicum;* — R. Jéchiel ben Salomo, *Rabbinus urbis Minsk: Seder Haddoroth* (*ordo generatioum, familiarum.*) *Carlsruhe* 529. 1769. J. M. Jost: *Geschichte der Israeliten nach den Quellen bearbeitet. IX Thl. Berlin* 1820-29. cet.

Praeterlapsis autem, uti dicitur, septuaginta annis, ipso imperio Assyrico a Persis everso, jussu regis Cyri ad aras et focos redierunt Jisraëlitae; qua vero concessione non omnes hujus gentis exsules fuerunt fructi; multi enim Jisraëlitae in Babylonia remanserunt, et minima tantum pars, ducibus Ezra et Nehemia, in Palaestinam rediit. Prima in cura fuit Ezrae et Nehemiae, templum Hierosolymis rursus exstruere et condere, populumque Dei verbo iterum instruere: — idque pernecessarium fuit!

Jam dudum enim in oblivionem fere abierat Lex Mosaïca. Itaque ut antea Rex Josyah eam legem, ut novam, populum docuerat, ita Ezra eandem restituere studuit; solus autem id exsequi non potuit: elegit ideo ex populo viros peritissimos, uti fertur numero CXX, qui sibi auxilium praestarent. Hoc virorum doctorum collegium, nomine *Synagogae magnae* celebratum fuit. Multa exemplaria S. S. inter populum distribuebantur, et ipse Ezra plura eorum scripsisse dicitur; quamobrem et *Scriba* cognominatur. Sed non solum ipsum contextum S^ae^ S^ae^ populum de novo doceri oportebat, verum simul variae illae traditiones, quae a patre ad filium per saecula transmissae fuerant, resuscitandae et colligendae erant. Secundum Talmudicos enim, duae formae sunt legis Mosaïcae; prior quam ipse Moses scripserat, *lex conscripta*, תורה שבכתב, et altera quae a Mose Jehosuae, et sic a prophetis aliis prophetis, a patre filio tradebatur, *lex oralis*, תורה שבעל פה.

§ 8.

*Scholarum origo et fata.*

Interea variae inter populum Judaïcum oriebantur sectae religiosae; qui traditiones foverunt, Pharisaei et Essaei; et demum Samaritani et Sadducaei, qui explicationem simplicem S. S. nullis immixtis traditionibus sequebantur. Sectae illae quatuor suos quoque asseclas habebant inter membra collegii supremi vel *Synhedrii magni.* Illud *Synhedrium*, tempore, uti videtur, Chasmoneorum institutum, Senatus supremus vel cura judicialis suprema fuit: constabat 71 membris, quibus praeërant praeses (*Nasi*) et vice-Praeses (*Ab-Beth-din*, *pater curiae judicialis*). Membra e populo eligebantur, et omnium fere scientiarum periti debebant esse, neque minus in multis linguis versati. Judicabant de pace et bello, de rebus poenalibus et civilibus, et etiam legislaturae praeërant. A°. circiter 56 a. Ch. N. Gabinius, dux Romanus, dissolvit Synhedrium.

Imminuente auctoritate illius collegii, inter populum increvit doctrinae desiderium; et doctorum auditoria juvenes innumeri implebant, cupidi audiendi varias et antea nunquam auditas explicationes S. S, et desiderio capti se immiscendi discussionibus, quae semper movebantur si de explicanda aut amplificanda quadam lege fuerit sermo. Sic factum est, ut brevi tempore insurgerent variae Scholae, inter quas Schola Rabbini Hillel*is* illaque Rabbini Schammai*ï* principes fuerunt. Aetate horum Rabbinorum Schammai*ï* et Hillel*is*, numerus traditionum ita accreverat, ut in sexcentos ordines jam dividerentur, alii quidem dicunt septingentos. (*Talmud Babylonicum, Tractatus Chagiga, fol.* 14 *a.*). Hillel

hasce traditiones ad sex ordines primus restrinxisse videtur 2).

Captis Hierosolymis (A°. 70. p. Ch.), multi doctores in illa clade interierunt; sed multi aufugerunt, Jamniamque (Jabne) adierunt, urbem non procul ab Hierosolymis sitam. Huc jam ante bellum Titi adversus Judaeos, R. Gamaliël, nepos Hillel*is*, se contulerat Scholamque ibi condiderat. Haec Schola, postquam advenerant fugitivi Rabbini, inter quos imprimis memoratur R. Jochanan, filius Saccai*ï*, brevi temporis spatio auctoritate adeo increverat, ut Jamnia fieret locus, versus quem omnes viri docti adierunt. R. Gamaliël sua auctoritate mox Synhedrium restauravit, et titulum assumsit *Principis* (*Nasi*). Schola illa, *vitis* quoque *Jamnensis* vocata, post cladem magnam. regnante Imperatore Hadriano (135 p. Chr.) iterum restaurabatur. Sed nondum satis erat persecutionum: post varia fata Schola quoque Jamnensis interiit; Rabbini migraverunt in Tiberiadem, urbem in Galilaeae gratissima regione sitam; novamque ibi Academiam fundaverunt, praeside R. Schimeon*e*, filio R. Gamaliël*is* II<sup>i</sup>. (circa 180 p. Ch.). Mortuo R. Schimeon*e*, praesidium Academiae Tiberiensis transiit ad filium suum R. Jehudam, cognomine *Sancti* (*Hakkadosch*), *Principis* (*Nasi*) insignitum, vel etiam *κατ' ἐξοχην* Rabbi nominatum.

## § 9.

*Mischnae confectio.*

Summa cura R. Jehuda*e* fuit, ut Jisraëlitae leges suas accuratius cognoscerent; et hinc omnes intendit vires

2) Patent haec ex dictis Jonathan*is* Ben Uziel, interpretis Chaldaïci nonnullarum partium V. T. et discipuli Hillel*is*, ad Exodum **XXVI.** 9 et Cant. Cant. **I. 2.**

ad creandos quam plurimos Verbi Divini magistros, ut hoc facto finem imponeret tot litibus et dubiis, quae inter Hebraeos de religione, vel de vita privata, vel etiam de rebus civilibus, secundum jus Judaïcum, possent suscitari. Quod ut fieret, collegit R. Jehudah omnes traditiones et decisiones Rabbinorum, qui antea vixerant et docuerant omnia, quae ad jurisprudentiam, vitamque civilem et religiosam pertinerent. Ante eum R. Eleazar, Hyrkani filius, R. Akiba aliique fere idem tentaverant, et magister τοῦ Rabbi, R. Meiër, jam multa collegerat. Hoc modo Rabbi finem imposuit Scholis legislatoriis, quarum decisiones varii argumenti collegit et ordine digessit jam dudum sancito. Opus R. Jehudae nomine *Mischnae* venit, quod significat *Δεύτερώσιν*, *legem iteratam.*

De aetate, qua R. Jehuda scripserit Mischnam, diversam auctores fovent opinionem. Otto (*Hist. Doct Misnicorum, recus. in* Wolff *Biblioth. Hebraeâ, T. IV, p.* 424) putat anno 120° post vastatum Templum secundum, igitur 190° p. Ch., — Jost (*l. c. T. IV, p.* 96 *sqq.*) statuit anno 250°; alii iterum A° 220° p. Chr., et Morinus (Wolff, *Bibl. Hebr. T. II, p.* 674. *sqq.*) imo contendit, Mischnam seculo sexto fuisse elaboratam. Horum autem illi veritati videntur proximi, qui tempus confectae Mischnae determinent inter annos 200 et 250 p. Ch. Referuntur in illo opere dogmata sententiaeque Rabbinorum, quorum plurimi non ante regnum Herodis vixerunt, nonnullis tamen exceptis qui vetustiores sunt. (Jost *l. c. IV.* 105. — Herodes *vixit circiter ab anno* 50 *ante Chr. N. ad annum* 3 *post Chr. N.*) Attamen in ipsam Mischnam etiam recepta sunt dogmata nonnulla aequalium dicti Rabbi, imo eorum qui post eum vixerunt.

Fontes, e quibus hausit R. Jehudah, nobis omnino fere latent. Ipsa traditio ita confusa erat, ut vel ignorarent qui antea, imprimis ante Herodem, Praeses vel vice-Praeses Synhedrii fuerint 3). Legimus quidem, uti jam dixi, R. Eleazar*em*, Hyrkani filium, atque R. Akiba*m* (100 p. Chr.) commentationes nonnullas scripsisse, — etiam ajunt, R. Jehuda*m*, filium Ilaï, commentarium in librum Leviticum composuisse, cet.; quidquid autem sit, id certum est, R. Jehuda*m* labore suo immortalem sibi comparasse famam.

Ab hoc inde tempore in omnibus Scholis Rabbini occupati erant in amplificandis et explicandis dogmatibus, in Mischna reservatis; commentariis haec illustrabant, et demum inquirebant in rationes et causas variarum sententiarum in Mischna a Rabbinis prolatarum. Haec commentaria nomine veniunt *Gemarae*, h. e. *perfectionis, clausionis.*

*Talmud Hierosolymitanum in lucem editur.*

Scholis Palaestinae sensim sensimque decrescentibus, auctor anonymus compilavit et collegit omnes sententias horum doctorum *Gemaricorum*, et opus illud in lucem edidit, quod nomine *Talmudis Hierosolymitani* celebratur (circiter A° 370 390 p. Chr.). Auctor hujus operis non est cognitus; putant tamen, eum esse R. Jochanan, qui ea aetate vixit. *Talmud* illud *Hierosolymitanum* non integrum ad nos pervenit, cujus quippe operis remansit tantummodo fragmentum.

## § 10.

*Talmudis Babylonici origo.*

Majorem explicationem Mischnah acquisivit in Scholis *Babylonicis*. Jam dixi, tempore Ezrae non omnes

3) Hujus rei testimonium affert Mischnah in Tractatu *Chagiga*, fol. 16 a. et Gemara hujus Mischnae, ib. fol. 16 b.

exsules Palaestinam rediisse, sed multos in nova sua patriâ mansisse. Condiderunt illi multas colonias, imprimis ad littora fluminum Euphratis et Tigridis Praefectus eorum nomen gessit *Resch Geluthà (Caput, dux, princeps exsilii)* atque omnibus rebus civilibus praeërat: res religiosae tamen e Palaestina gubernabantur. Primo tempore cives erant Persici; postea vero in Parthorum venerunt potestate. Multi juvenes Scholas tunc frequentabant Rabbinorum Tiberiensium, et ita semper fuit commercium inter Babylonicos Judaeos et Palaestinenses. Confectam Mischnam ad has quoque colonias mox transtulerunt duo discipuli ipsius R. Jehuda*e*, Abba Aricha sc. et Schemuël, ambo amicitiâ et doctrinâ conjunctissimi. Quo magis decreverunt Scholae Palaestinenses, eo magis inclaruerunt Scholae Babylonicae. Schemuël Academiam condidit in urbe Nehardea, ad Euphratem flumen, — sodalis suus Abba Aricha in Sura vel Matha-Mechasja, etiam prope Euphratem flumen; dum tertia Academia in urbe Pumbeditha, inter Tigridem et Euphratem, fuit condita (A° 250—260 p. Chr.). In iis Scholis quam maxime colebatur Mischnah: et tandem Academia Surensis prae aliis claritate innotuit, imprimis praeside R. Asche.

Tempore enim, quo R. Asche praefectus hujus Academiae fuerat designatus (circiter A° 350 p. Chr.), tota doctrina Mischnica in summa versabatur confusione. Mischnae quidem exstabant exemplaria, quae autem variis lectionibus a textu originali discedebant. Insuper ex singulorum doctorum diversa opinione, multifariae prodibant explicationes, quibus summa oriri debebat confusio. Talmud Hierosolymitanum non sufficiebat, nec debitum conspectum, nec ordinem ullum sequendum praebebat;

et denique omnia, quae in scholis Babylonicis docta fuerant, in illo opere deërant. Haec quum expertus esset R. A s c h e, eundem laborem de novo perficere suscepit; omnia, quae ab antecessoribus erant divulgata, colligere et in unum redigere animo concepit. Quod ut melius et accuratius fieret, totum corpus juris Judaeorum in sexaginta divisit partes, quarum duas singulis annis perfecit: — et quidem ita: quocumque dimidio anno concilium convocavit discipulorum, ex omnibus scholis totius regionis: — in illo concilio, adjuvantibus decem interpretibus, disseruit de partibus alicujus divisionis (*Tractatus*, *Masichtoth*), et simul suis auditoribus mandavit omnia colligere, quae de illo argumento vel tradita erant vel in scholis acta. In sequente concilio, de eadem re iterum agebatur, variaeque sententiae argumenti audiebantur; et ex omnibus illis fragmentis unum opus constituit. Textus erat Mischnah, cui addebantur explicationes, quae notatae erant, comparatio variorum dogmatum oppugnantium, res de illis actae, immixtis simul multis narratiunculis, sententiis moralibus, annotationibus, cet. Triginta annis praeterlapsis, opus erat perfectum: sed nondum sufficiebat. Vixit R. A s c h e adhuc annos triginta post perfectum opus; et adjuvante discipulo suo A b i n a, totum opus, eodem modo ac prima vice, recensebatur, multaque in eo mutabantur; ita ut ad finem vitae R. A s c h e s ut novum fere opus Talmud exstaret anno 350—430 p. Chr. 4).

Haec est origo Encyclopaediae illius magnae, quam

---

4) Sententias eorum, qui Talmud declarent serioris temporis opus, attamen immerito, vid apud W o l f f, *Bibl. Hebr. T. II*, *p. 685. sqq.*

nomine *Talmudis Babylonici* novimus, quae vero non ante initium Seculi VI[i]. videtur divulgata.

§ 11.

*Talmudi Babylonici recensio.*

Constat Talmud Babylonicum duabus partibus, Mischnâ et Gemarâ. *Mischnah* ipsa est textus, continens legis Mosaïcae repetitionem et latiorem explicationem, cui accedunt multa, temporibus et regionibus accommodata pro variis vitae temporibus et regionibus ipsorum auctorum. Altera pars est *Gemara*, quasi supplementum vel complementum textus Mischnici: continet nempe latiorem explicationem et decisiones Rabbinorum cum rebus de iis actis in Mischnam. Denique est Talmudis Babylonici argumentum, explicatio S[ae] S[ae], continet praecepta vitae religiosae et politicae, omnium fere quae exstent jurum, tam civilium quam poenalium expositionem, jurisdictionem civilem et criminalem, variasque discussiones de his argumentis in scholis vel aliis locis habitas, dum singuli doctores opiniones suas rationibus illustrant. His immiscentur anecdota, narratiunculae, sententiae morales, notitiae historicae vel Rabbinorum in Talmude obvenientium, vel totius gentis Judaïcae.

Nemo ergo mirabitur, in tali farragine multa occurrere, quae ad historiam aetatis Talmudicae pertinent, multa quoque, quae ad Medicinam, Physicam, Astronomiam cet. referenda sunt. »Sunt in eo," inquit Buxtorff, »multa Juridica, multa Medica, Physica, Ethica, »Politica, Astronomica, et aliarum scientiarum praeclara »documenta, quae istius gentis et temporis historiam »mirifice commendant. Sunt in eo illustria ex antiquitate »proverbia, insignes sententiae, acuta apothegmata, scite

»prudenterque dicta innumera, quae lectorem vel melio-
»rem vel sapientiorem reddere possunt, et ceu rutilantes
»gemmae non minus Hebraeam linguam exornant, quam
»omnes Latii et Graeciae flosculi suas linguas condeco-
»rant" (Buxtorff *junior*, in *Epistola dedicatoria Lexici Talmudici patris*). Neque nos aliud judicium
de Talmude ferre valemus; et omnia, quae bona Buxtorff, judex certe peritissimns, dixerit, nostra facere
non dubitamus. Attamen Talmud quoque criteriis suae
aetatis abundat: valet de auctoribus et de omnibus
Rabbinis qui in illo opere occurrunt, illud Terentianum: »*homo sum, et nihil humani a me alienum puto.*"
Mirum etenim in modum aliquando distorquent legis
Mosaïcae verba et rationem, et ad singularem confugiunt
exegesin, ostendentes omnia instituta, imprimis religiosa,
lege illâ niti; ex ea hauriunt praecepta, quae suo tempore nec Moses, nec successores ejus somniaverunt.
Non autem mirandum, cum plurimis bonis, quibus certe
maxima pars Talmudis constat, multa mala esse commixta, — si rationem habemus aetatis qua vixerunt, et
regionis in qua habitaverunt, omnium fere daemonum et
fabularum patriâ!

## § 12.

*Ordinum Talmudis Babylonici enumeratio.*

Talmud Babylonicum divisum est in VI Ordines, quorum singuli nonnullos continent Tractatus, *Massichtoth*, vel subdivisiones. Ordo Ius, Seraïm, *de seminibus, agricultura et de precationibus*, continet Tractatus XI; — Ordo IIus, Moëd, *de diebus festis*, habet tractatus XII; — Ordo IIIus, Naschim, *de feminis, matrimoniis, divortiis* cet., dividitur in VII Tractatus; — Ordo IVus,

Nesikin, *de damnis*, praecipua jurisdictionis civilis et criminalis continet, et est flos jurisprudentiae Judaïcae; habet Tractatus X; — Ordo Vtus, Kodaschim, *de sacris*, continet Tractatus XI; — et Ordo VIus, Tehoroth, *de purificationibus*, *de rebus mundis et immundis*, divisus est in Tractatus XII 5).

## §. 13.

*De commentatoribus Talmudis Babylonici.*

Uti opera omnia veterum, sic quoque Talmud Babylonicum suos habuit commentatores; neque pauci sane fuerunt, qui Talmud vel totum vel ejus partem explicaverint notisque illustraverint. Inter viros, qui toti Talmudi commentarium adjecerunt, eminet praeclarus R. Salomo ben Jzak, vulgo Raschi vel Jarchi dictus. Natus fuit ille A° 1040, Augustomanae (Troyes) in Campania Gallica, vir eruditionis summae, permultarum scientiarum peritissimus; commentator eximius. Diem obiit supremum aetate annorum 64, anno 1104. Alter commentator totius Talmudis fuit R. Jakob, filius Meïri, vulgo Rabbenu Tam, nepos Raschiï; ejus commentationes, una cum Collegarum opere, nomine Tosephoth *(Additamenta)* celebrantur.

Inter eos qui Talmudis partem, Mischnam nempe solam, explicaverunt, maxime eminet summus Maimonides 6). Alius exstat commentarius totius Mischnae

---

5) Uberrimam recensionem horum tractatuum invenies in Wolff, *Biblioth. Hebraea*, P. II, p. 744-754. — Omnes illi Tractatus LXIII, in editione Amstelaedamensi, qua usus sum, continentur XII tomis in folio, qui simul sumti efficiunt plus quam sex millia paginarum; nempe 6140.

6) R. Moses filius Maimouni, vel Maimonides,

cujusdam R. Obadiae ex Bartenora, urbe Italiae, qui in fine seculi XVi et initio seculi XVIi floruit, et de cujus fatis id solummodo innotuit, quod in Palaestina degit et per totam vitam studiis Theologicis incubuit. Tertii commentarii in Mischnam auctor fuit R. Jom Tow Lipman, Rabbinus Pragensis, qui seculo XVII° ineunte vixit.

---

natus Ao 1137 Corduae in Andalusia, eo tempore sub Arabum imperio, fuit discipulus Averroës, a quo Astronomiam, Philosophiam et Artem Medicam didicerat. Per omnia secula Maimonides summis ornatus est laudibus, et primus fuit, qui religionem Jisraëliticam philosophiae luce illustraverit, praecipue in opere suo numquam satis laudando, *Doctor Perplexorum* (*More Nebuchim*). In totam Mischnam commentarium scripsit, et in alio opere, cognomine *Jad Hachasakah* (*Manus fortis*), omnia praecepta et decisiones totius Talmudis collegit et ordinavit. Sed non solum studiis philosophicis et theologicis praeclarus vir incubuit, verum etiam in Medica arte multum praestitit. Errat Illustriss. Hallerus (*Bibl. Medicin. Pract.*), dicens Maimonidem praxin medicam non exercuisse: testibus enim suis epistolis, Saladdini, Aegypti regis, fuit Archiater, et in epistola quadam ad suorum operum interpretem Samuel Ebn Tibbon, queritur, sibi propter ingentem praxin medicam de die plane nullum esse otium. [*Epistolae, quaestiones et responsiones R. Mosis Maimuni, Amstel. 1712, p. 13.* (*Hebraice*)] Inter opera sua medica laudantur *Commentarii in Aphorismos* Hippocratis *secundum doctrinam* Galeni, et *Tractatus de regimine sanitatis*, nuperrime de novo editus. Obiit vir ille praeclarus anno 1207, aetatem agens annorum LXX. — De aliis operibus medicis Maimonidis, editis et non editis, vid. Carmoly: *Histoire des Médecins Juifs*, in diario *Revue Orientale*, *T. I*, *p. 397. sqq.* Vir ille doct. citat opera XIX medica Maimonidis. Cf. quoque L. Choulant: *Handbuch der Bücherkunde für die Aeltere Medicin*, *Zweite Auflage* (*Leipzig 1841*), *p. 378 sq.*

# INTRODUCTIO.

## TALMUDICORUM SCIENTIAE MEDICAE ET OBSTETRICIAE BREVIS CONSPECTUS GENERALIS.

### § 1.

*Rabbini peregrinae eruditionis non expertes fuerunt.*

»*In quo illa* (scientia universalis) *est, in eo omnia sunt,* »*in quo non est, quidnam in eo est? Qui illam acqui-* »*siverit, quibusnam eget? qui illam non acquisiverit,* »*quidnam acquisivit?*" (*Nedarim*, 41 *a.*) Ita cogitabant Talmudici de addiscendis scientiis; et profecto, Talmud pervolventibus multa nobis obvenient exempla, quanti iis fuerit doctrina. Quae cum ita sint, non mirandum, multa bona e variis scientiis ab iis tradita esse: nec omnino ignorabant doctrinas ab aliis gentibus cultas. Legimus enim, R. S c h i m e o n *em*, filium J o c h a i *ï*, Romae fuisse, et R. J e h u d a *m Sanctum* intimam coluisse amicitiam cum Imperatore quodam A n t o n i n o; viri illi certe Romanorum literas scientiasque non plane ignorare potuerunt. Magis tamen excoluerunt linguam Graecam (*Megillah, f.* 9*a. Sanhedrin, f.* 100*b.*); et quod nonnulli e Rabbinis vetaverint lectionem librorum externorum (*Sanhedrin*, 90*a.*), inter quos referunt quoque Graecos, illud ex eo maxime explicandum, quod ante Templi devastationem a T i t o, Sadducaei philosophiam Graecam

coluerunt, hique vario modo res Rabbinis sacras profanabant (*Baba Kama*, *fol.* 82 *a.*). Abunde patet multos Rabbinos Graecis literis indulsisse, uti id de R. Schimeone ben Gamaliël, R. Jehuda Sancto, Schemuele aliisque traditur; quibus addendum, multa verba Graeca Talmudico Chaldaïsmo esse intermixta, imprimis in Talmudis parte juridica strictiore sensu: imo linguam Graecam prae omnibus commendant, illiusque pulchritudinem et divitias summis laudibus celebrant. (*Megillah*, *fol.* 9 *a. b.*)

§. 2.

*De arte Medica ex Talmude Babylonico.*

Patet e variis medicis et obstetriciis annotationibus, Rabbinos Graecae eruditionis non solum non fuisse expertes, verum etiam Graecorum Medicorum doctrinam illis fuisse familiarem.

De conditione artis Medicae in regionibus illis, ubi Rabbini degerunt, nil scriptum reperi. Inter Talmudicos quidem fuerunt, uti Schemuël, R. Chanina, Abba Umna, alii, qui certe etiam Medici doctores fuerint creati; in quanam autem regione et apud quosnam artem didicerint, non constat. Ex loco quodam (*Nidda*, 30 *b*) suspicarer, nonnullos Judaeos etiam Alexandriae fuisse asseclas Herophili (circa annos 180—45, a. Ch.); id quod confirmare videtur magnus Judaeorum numerus, in Alexandria habitans. Multos Rabbinos Medicinae fuisse peritos, nec non ipsius Artis Obstetriciae valde fuisse expertos, non mirum videri potest, siquidem in explicandis variis legibus, quae ad rem medicam vel obstetriciam pertinent, Rabbinis magna opus esset doctrinae medicae copia: et quaenam haec fuerit, dein tradam. —

Videtur immo nonnullis in regionibus ubi Talmudici degerunt, collegium quoddam medicorum exstitisse: legimus enim (*Nazir*, 52. *a.*) quum de ossibus, in templo fabrorum aerariorum repertis, quaestio quaedam mota fuerit, advenisse T u d u m (T h e o d o r u m) M e d i c u m, „cum omnibus Medicis," ut pronuntiarent num illa ossa unius, vel plurium cadaverum essent 1). Immo videntur Rabbini de quaestione propositâ difficili Medicos consuluisse (*Nidda*, *fol.* 26 *b.*); fuit nempe casus abortus, qui coram Rabbinis ferebatur, hique consilium petierunt a Medicis. Ex quibus possumus intelligere, quanti Medicos et Medicinam Rabbini habuerint: et mirum itaque mihi videbatur sententia illa in K i d d u s c h i n (*fol.* 82 *a.*) טוב שברופאים לגיהנם »*optimus inter Medicos ad Gehinnom.*" (i e. *ad inferos abit*). Commentator J a r c h i adjicit: »quia aegrotum non aestimant medici, et ei porrigunt »cibos pingues, et non vertunt animum ad Deum, et non- »numquam occidunt animos, et est in potestate eorum »pauperibus mederi, eosque tamen non curant." Credo tamen, rationem aliunde esse quaerendam: Medici aetatis Talmudicae addicti erant Philosophiae Graecae, adeoque omnibus nugis religiosis Rabbinicis non obtemperabant; — tunc forsan jam uti dein dicebant Theologi: „Tres medici, duo Athei." Non omnes tamen Rabbini ita cogitaverunt; et plurimi ipsi Medicae scientiae nec non Medicis valdequam indulserunt. Nam in Tractatu *Sanhedrin* (*fol.* 17 *b.*) dicunt: »omnis eruditus non debet »habitare in urbe aliqua, ubi inter alia etiam deficit »medicus."

---

1) T u d u m illum alio loco iterum offendimus, *Bechoroth*, *fol.* 8 *b.* in Mischnâ.

## § 3.

*Continuatio.* Quodad scientiam medicam ipsam: hic et illic in disceptationibus Talmudicis circa leges et casus multae res medicae pertractantur. Anatomicam et physiologicam cognitionem praesertim quidem e brutis depromserant; verumtamen indagationes cadaverum humanorum non desiderantur. Legimus enim in *Bechoroth* (*fol.* 45 *a.*): »*Dixit* R. Jehuda: *dixit* Schemuël: *Accidit dis*»*cipulis* R. Jismaël*is*, *ut concoquerint* (שׁשלקו) *meretri*»*cem aliquam, quae ex jussu regis ad ignem erat dam*»*nata; scrutarunt et invenerunt ducenta quinquaginta* »*et duo* (membra) 2)."

Multa anatomica reperies in Cap. III° Tractatus *Chulin*, ubi agunt de morbis et defectis, qui bestias ineptas reddunt ut edantur. — Quodad Physiologiam, inprimis agebant de generatione, graviditate et embryologia, — physiologiae partibus apud veteres omnes in tantis deliciis! — Eorum Pathologia vere humoralis

2) Sic et in *Nidda*, *fol.* 30 *b.* cadaverum humanorum sectiones memorantur, quae regnante regina Cleopatra fuerunt institutae (vid. inferius sub *Embryologia*); quanam tamen regione sectio supra memorata fuerit instituta, nescio. Nec tam certum est, quisnam fuerit ille R. Jismaël; quoniam duo fuerunt ejus nominis: unus fuit R. Jismaël, filius Elischae, pontifex, qui vixit initio Seculi Ii.; alter R. Jismaël (nepos alterius) vixit Seculo Io. p. Chr. ad finem vergente, fuit R. Akibae aequalis et socius, adultus jam fuit A° 75. p. Chr. et illum censerem doctorem, cujus discipuli meretricem illam dissecaverunt. Est idem, qui etiam in *Nidda* (L. c) cadaverum sectiones memorat, et videtur revera Medicinam exercuisse. (*Midrasch Schemuel, C. IV. apud* Carmoly: *Revue Orientale, I, p. 298.*) Cf. ulterius: *Seder Haddoroth, fol. 325 b., 326 a.*

fuit; perhibent enim plerorumque morborum causam in sanguine haerere (*Baba Bathra, fol.* 28 *b.*). Sternutatio, sudor, solutio ventris, seminis nocturnus fluxus vel pollutio, somnus et somnia in morbis si obveniant, bonam admittunt prognosin (*Berachoth*, *fol.* 57 *b.*).

Symptomata morborum si traduntur, pleramque paucissima enumerantur et valde obscura. In eorum Therapia vinum, oleum olivarum et aromata primas tenent partes. Venaesectiones magnis celebrabant laudibus; immo suadent, corpore quantumvis sano, omnibus triginta diebus venam secare (*Sabbath, fol.* 129 *b.*); et nonnunquam quidem una vice totius quantitatis sanguinis qua corpus gaudet, partem quadrantem!! (*Ibid. fol.* 129 *a.*). Multa vero remedia absurda sunt, uti satis patet ex Tractatu *Gittin*, *fol.* 68 *sqq.* agente de variis remediis multis in morbis. Attamen qui talia remedia in usum vocabant Rabbini, recentioris praecipue erant aetatis; sic v. g. A b a j e, qui floruit medio seculo IV, auctor fuit rerum quam maxime absurdarum, neque minus laudator curationum per incantationem, licet Doctores Mischnici omnes incantationes scopo medico factae vehementissime abhorrerent (*Sanhedrin*, *fol.* 90 *a.*).

Neque Chirurgiae fuerunt imperiti; quemadmodum hic et illic operationes occurrunt; v. g. in *Sabbath*, *fol.* 134 *a.*, *Jevammoth*, 76 *a*, 83 b., *Sanhedrin*, 33 *a*, cet. In Tractatu *Bechoroth* Capite VI° offendes descriptos nonnullos morbos oculorum; et totus fere Tractatus *Negaïm* agit de dignoscendis variis leprae speciebus.

Quam maxime Medicinae Veterinariae operam dederunt; ita Caput III Tractatus *Chulin* scatet observationibus morborum in omnibus fere partibus corporis animalis.

Atque haec de Medicina sufficiant 3). Transeamus nunc ad nonnulla generaliora quae de arte Obstetricia in Talmude occurrunt.

## § 4.

*De Obstetricibus.*

Uti apud omnes gentes priscas, sic etiam in Talmude, ubicunque agitur de auxilio in partu ferendo, Feminae Obstetricantes citantur. Obstetrices illae nomine veniunt *feminarum sapientium* (*sage femme* Gallorum) חכמה 4), (uti nostratibus *Vroedvrouw*): porro *feminarum vividarum* חיה 5), quia vivere faciunt, »dum infantem ex utero in vitam ducunt." (Buxtorff, *Lexicon Talmudicum in voce*). Illo nomine חיה etiam nonnullis in locis occurrit *puerpera* ipsa, uti in *Joma*, *fol.* 73 *b*, *Kelim*, *Cap. XXIII. Misch.* 4. Obstetrices illae aliqua auctoritate valebant, siquidem earum testimonium magni aestimabatur, v. g. in judicando num neonatus esset legitimus, nec ne: (*Kidduschin*, *fol.* 73 *b.*). Obstetrix quoque judicium ferebat, quisnam infans esset primogenitus (*Ibid.* 74 *a*). Attamen occurrunt quoque nonnulli loci, e quibus concludere possemus, aliquando ipsos viros praestitisse auxilium; ita legimus in *Kidduschin* (*fol.* 24 *b.*) ad quaestionem: num dominus accusandus esset,

3) De medicinâ ipsâ Talmudica cf. Ginzbürger, *De medicina ex Talmudicis illustrata. Diss. inaug. Göttingae* 1743.

4) *Sabbath*, *fol.* 128 *b*. »*et vocant ei obstetrix* (חכמה) *ex loco in locum.*" *Erubhin*, *fol.* 45*a*. »*obstetrici* (חכמה) *est licitum extra terminum Sabbathi exire, quum veniat adstare partui.*" Sic et *Rosch Haschanah*, *fol.* 23*b*.

5) *Kidduschin*, *fol.* 74 *a.*, 24*b*. *Chulin*, 7 *a* et alibi passim.

qui, versione infantis in utero servae suae, illum infantem coecaverit 6).

§ 5.

*De exploratione partium genitalium.*

Exploratio partium genitalium saepius instituebatur, ad dijudicandum num virgo nubilis esset nec ne? num haemorrhagia uteri ad menstruationis negotium pertineret, an ex alia causa oriretur, v. g. ex vulnere vel morbo? Requirebatur exploratio, si scire vellent, num femina fuerit gravida: — et sic saepissime exploraverunt, ut variae quaestiones dijudicarentur ad vitam religiosam pertinentes vel ad medicinam legalem. Has explorationes saepius feminae instituebant, quod inprimis patet ex *Nidda, fol.* 48 *b.* ubi ita loquuntur Rabbini: »*Docuerunt Rabbini:* »*omnes quae explorantur, explorantur a feminis; et sic* »*fecit R.* Eliezer, *qui eas uxori* (suae) *tradidit* (ut »ab hac explorarentur), *et R.* Jismaël (eas) *tradidit* »*matri suae* (eundem in scopum). *R.* Jehuda *dicit:* »*ante terminum* (ante menstrua oborta) *et post termi*»*num* (aetate provecta) *feminae explorent eas, in*»*tra terminum feminae non explorent eas, quia* »*non judicant de dubiis ex ore feminarum.*" Dissentiunt tamen dicuntque alii: feminarum judicium

6) De his plura vide infra ad art. de *Partu abnormi.* Sequentia, quae de explorationibus instituendis dicuntur, affirmare quoque possunt, viros nonnunquam praebuisse auxilium in partu: si enim exploraverunt, quare partui non adstitissent? Ad haec omnia per conjecturas debemus concludere, quia in oto Talmude haec res de industria non pertractatur.

quidem esse admittendum si aggravet; sin contra, non audiendum. Ex hoc loco Talmudico constat, plerumque ad explorationes instituendas feminas fuisse vocatas; sed in casibus dubiis viros explorasse, et forte eam ob causam, quia hujus rei peritiores fuerunt. Causa, quare non *semper* exploraverunt doctores, in pudicitia videtur quaerenda, de qua saepe nimis erant solliciti.

Mulieres a viris nonnumquam fuisse exploratas, ex loco sequente etiam patere videtur: *(Jevammoth,* »*fol.* 42 *a.)*: »*Dixit* R. Siphra, *non explorantur* »*nuptae* (mulieres gravidae) *ne illas vituperent ma-* »*riti* (שלא יתגנו על בעליהן) *et explorantur ex incessu.*" Addit commentator Jarchi ad hunc locum: »solent »gravidarum explorare mammas ad graviditatem dig- »noscendam." Explorationem ex incessu, idem ita explicat: »percurrit talis femina spatium aliquod terrae mollis, in qua gressus melius conspici possunt; si mulier est gravida, gressus profundiores sunt illis aliarum mulierum, quia femina gravida gravior est aliis." Singularis profecto explorandi methodus! Attamen mirarer, Rabbinos qui ad res minimas quoque attendebant, talem admisisse. — Porro ex dictis R. Siphrae quoque elucere mihi videtur, nonnumquam mulieres a viris exploratas fuisse; quare enim ignominium fuisset exploratio maritis, si a solis fieret feminis?

Modum quo exploraverint sequentia aliquomodo illustrant, quae in *Nidda, fol.* 10 *b.* leguntur:

»*Quando filiae Jisraëliticae perve-* »*nerunt ad suum tempus* 1), *sunt in* »*suspicione pollutionis, et feminae ex-* »*plorant eas.* R. Jehuda *dixit: non* »*explorant eas manu, quia inique cum*

1) Tempus menstruationis.

2) Laedunt vaginam unguibus.

3) Illiniunt vaginam oleo, quia

»*illis agunt* 2), *sed illiniunt eas oleo* »*interne* 3) *et lavant eas externe, et* »(ita) *explorantur ab ipsis.*"

oleum pellit menses, quando tempus in conspectu est quo veniant. (Raschi).

Videmus ergo ex his, illos genitalia ipsa interne explorasse et quidem manibus, profecto non tota manu sed uno digito. Explorationem tamen non semper prudentissimo modo fuisse factam, nos docet admonitio, ne explorent manu, quia manus laedere posset vaginam, et ita sanguinem vagina fundere posset qui immerito aestimaretur sanguis menstruus.

§ 6.

*Praecepta nonnulla Rabbinica de feminis menstruantibus cet.*

Ex iis quae supra citavimus de arte obstetricia Vis. Fis., patuit, Mosen feminam menstruantem et fluentem per aliquod tempus pollutam declarasse, — feminis, quae vel masculum vel puellam pepererant, varium fuisse purificationis tempus; — et haec praecepta Rabbini magis etiam extenderunt. Hujus loci non est, omnia communicare quae Rabbini hac de re praecipiunt 7); modo nonnulla eorum afferam. Feminae, quae abortum passae fuerant, per varium tempus pollutae erant, et pro sexu foetûs abortivi, per longius breviusve tempus pollutae manebant; idem valebat de parturientibus. Femina, cui menses solito et eodem tempore veniebant, ab initio inde quo vidissit sanguinem, deberet quinque dies numerare pro ipsis catameniis; quibus diebus praeterlapsis,

---

7) Praecepta omnia illa collegerunt Maimonides in opere suo: *Jad Hachasakah* sub titulo *Hilchoth Issure Biah* (*praecepta de prohibito congressu*) quae conf. R. Joseph Karo; *Beth Joseph*, *Hilchoth Nidda*, et brevius in *Schulchan Aruch: Joreh Deah*, *Hilchoth Nidda.*

numeraret septem dies puritatis; deinde balneo se deberet lavare; et tum demum iterum marito licitum erat cum ea concumbere: durante tempore menstruationis enim, uxorem ne tangere quidem marito licuit, nec aliquid de ejus manu in sua manu accipere; et sic multa alia sunt quae religionem magis spectant, nec quoddam fundamentum medicum habent. Spatium vulgo statuunt undecim dierum inter singulos mensium accessus; et femina, cui sanguis his quoque undecim diebus e genitalibus fluxerit, *fluens* vocabatur; polluta erat toto tempore fluxus, et si desiit, uti femina menstruata, septem dies puritatis debebat numerare, balneo se lavare, et tamdiu quod Templum exstitit, piaculum debebat ferre. Haec quia mulieres Judaïcae accurate et summâ diligentiâ observaverunt, non sane mirandum, Rabbinos sponte magnam eorum acquisivisse experientiam: cognitae enim iis fuerunt innumerae abnormalitates mensium, quae durante graviditate, vel partu aut puerperio ipso aliquando occurrunt; et haec omnia ex causis religiosis saepissime a Rabbinis erant dijudicanda.

Studia morborum mulierum in genere magni aestimaverunt Talmudistae, cujus rei fidem illa sententia testetur R. Eliezar*is* filii Chismae: »*Oblationes* »*avium et praecepta de feminis menstruantibus sunt* »*puncta praecipua decisionum; Astronomia et Geometria* »*sunt peripheriae* (*deliciae s. a.*) *'sapientiae!"* (*Aboth. III.* 18.).

Expositis hisce generalioribus, argumentum ipsum aggredi possumus, et videre quid Talmudistis constiterit de variis argumentis, quae ad Gynaecologiam spectant.

# CAPUT I.

## DE UTERO ET FOETU.

### A.

### ANATOMIA PARTIUM GENITALIUM MULIEBRIUM.

### §. 1.

*De utero.*

Perpauca sunt quae de Anatomia partium genitalium femininarum in Talmude occurrunt; quod ideo mirandum, quoniam prolixe agunt illius Auctores de harum partium contentis et functionibus; quibus accedit, quod cadaverum sectiones, quas Talmudistae memorant, omnes in feminas factae sunt.

Rudem et incompletam modo imaginem uteri proferunt, et quidem parabolice in Tractatu *Nidda, fol.* 17*b* (*Mischna*): »*Parabolice locuti sunt sapientes de* »*femina: cubiculum, vestibulum et coenaculum* (חדר פרוזדור עלייה);" quae verba in *Gemara* ita explicantur, »*cubiculum est interne, et coenaculum constructum est* »*supra illa ambo, et foramen* (לול) *apertum est inter coenacu-*

»*lum et vestibulum* 1)." Cum Maimonide (*Hilchoth Issure Biah Cap. V. Hal.* 3. 4) illam parabolam ita explicandam crederem: cubiculum est uterus ipse, vestibulum est collum uteri, et coenaculum quod supra uterum constructum est, denotat »*vias, in quibus concoquitur semen muliebre*," vasa ergo spermatica muliebria, quae foramine aperto hiant in utero, vel, uti ex verbis ipsis Talmudicorum (*Ib. fol.* 18 *a.*) patet, inter tectum vestibuli et ipsum uterum; dividunt nempe illud vestibulum iterum in tectum et fundum vestibuli. Neque in his ab omnibus veteribus discrepant 2).

---

1) Auctor lexici Talmudici Aruch verbum עלייה ita explicat quod sit: »locus ubi urina mingitur," (Urethra? orificium urethrae in vagina?) dum פרוזדור, vestibulum feminae, (est) in loco pudendorum, inter labia pudendorum, בשפחות ערוה: Aruch, *fol.* 145 *b*, *col.* 1. Quae tamen explicatio mihi non arridet. Obveniunt hic et illic loca, ubi פרוזדור nihil aliud esse potest quam collum uteri: sed עלייה illo sensu numquam reperitur. Vulgo est coenaculum quod in superiore parte domi erat. Plura de hac parabola addere adhuc possem, si omnia ex nostra scientia illustrare vellem, et longius disserere quid quidem intelligerent per illas denominationes: — sic v. g. עלייה verbotenus sumtum *ascensus* (*vagina*) interpretari posset, dum לול esset *orificium internum uteri*. Sed quum Talmud nil amplius de his memoret, eaque levi penicillo tantum adumbret, solas hic conjecturas crearem, quae nullomodo ad certum et non fallax judicium ducerent.

2) Quod attinet ad illa vasa spermatica, quae recentioribus sunt Tubae Fallopianae, Aristoteles et Galenus illis ductibus nomen dederunt vasorum spermaticorum. Foramen quod commercium inter uterum et vasa illa spermatica sistit, Aristoteles non memorat; et Galenus, qui putat se illud primum descripsisse, Herophilum vituperat, quod illud foramen non annotaverit. (Vide Galenum, *de uteri dissectione*, — ejus *Opera omnia, edit.* Kühnii, *II. p.* 894). Verum jam ante Galenum,

§ 2.

*De vagina et de aliis partibus in vagina obvenientibus.*

Vaginam nominarunt *domum externum* (*Nidda*, 40 *a.* בית החיצון); est nempe locus uti dicunt »*ubi minister conculcat,*" ubi penis in coitu immittitur et se movet, »*est locus, qui conspicitur in puellis si se-* »*dent*" (*Nidda*, 41 *b.*). Talmudici ergo vaginam ab utero disjungunt; et hac re ab omnibus antecessoribus multisque Auctoribus qui postea floruerunt, discrepant; sed cum Sorano Ephesio 3) conveniunt.

---

Moschion videtur de illo foramine mentionem fecisse, his verbis: »et a poro excretorio, unde mulieres semen emittunt, protensi" (testes muliebres) [*καὶ ἐκτεταμενοι ἐκ τοῦ κριτικοῦ πόρου, ἐξ οὗ αἱ γυναῖκες τὸ σπέρμα ἐκπέμπουσι*]. Vid. Moschion, *De mulierum passionibus Liber. edidit* F. O. Dewez. *Viennae 1793. p. 6. 117.* Nequaquam hoc loco cornua uteri invenimus memorata, quae ceterum in tota antiquitate tantas egerunt partes: — attamen non adeo mirarer, Rabbinos de his non fuisse locutos, quia eorum tempore et imprimis aetate Mischnae confectae, quum Soranus Ephesius in libro *de morb. mulier.* et discipulus suus Moschion satis accurate uterum jam descripserant, de cornubus non amplius erat sermo.

3) Ubicunque in hoc opusculo Soranum Ephesium commemoro, illum puto Soranum, qui librum *de passionibus mulierum* scripsit quem nuper Cl. Dietz in lucem edidit. Cum viris Cl. Choulant (*Handb. d. alt. Bücherk. Ed. cit. p. 92*). Haeser (*Progr. de Sorano Ephesio. Jenae 1840*), et Ermerins (Hipp. *lib. de vict. rat. in morb. acut.* accedunt ejusdem, *observ. crit. in Soran. Ephes. cet. L. B. 1841.*) unicum Soranum Ephesium exstitisse crederem, quique ante Galenum, tempore imperatorum Trajani et Hadriani vixit. Opus ipsum Sorani conferre mihi non contigit, sed consului J. Pinoff: *Artis obstetriciae* Sorani Ephesii *doctrina ad ejus librum*

Loquuntur porro (*Nidda*, fol. 41*b*.) de השינים (*Schinaim*) in vagina; quo verbo R a s c h i intellectas vult elevationes carnis in utero, (confundit R a s c h i vaginam et uterum). Opinarer autem, *Schinaïm* esse Nymphas, quaequidem aliquid referunt dentatum; שינים nempe repeterem a שן, *dens* 4).

De *Hymene* membrana (בתולין *virginitates*) nonnullas notas offendimus in *Nidda*, 44 *b* et 45*a*, ubi de ejus regeneratione agitur; sed ibi citatur modo nomen, neque ulterius describitur. Apud nullum, quantum scio, scriptorem medicum ante Rabbinos aliqua exstat mentio hujus membranae. Nec aequales Rabbinorum, G a l e n u s, et ante eum S o r a n u s et M o s c h i o n, qui ceterum mulierum genitalia majore diligentia quam Mischnici describunt, de hymene membrana loquuntur.

De Rugis vaginae ita disseritur: (*Bechoroth*, 22 *a*): »*Quid sunt Tofifjoth* (טפיפיות *rugae*)? *Dixit* R. »J e h u d a, *dixit* S c h e m u ë l, *ex nomine* R. E l e- »a z a r*i s* *filii* R. Z a d o k*i s*: *Sic explicabant illud in* »*Hierosolymis: est sicut mula, inclinans in genua ad* »*emittendam urinam; et conspicitur orbiculus ex medio* »*orbiculi* (plica in plica)."

---

»περι γυναικείων παθῶν" *nuper repertum exposita. Diss. Inaug. Vratislaviae 1840.*

4) B a a l A r u c h hoc verbum non habet. Nomine B a a l A r u c h cognitus est R. N a t h a n b e n J e c h i e l, auctor lexici vetustissimi Talmudici, quod *Aruch* inscribitur: — obiit ille Ao. 1106. B e n j a m i n M u s s a p h i a, medicus Hamburgensis, lexicon illud, Hebraïco idiomate conscriptum, multo auctius et emendatius edidit Amstelaedami, 1655, folio. Illa editio celebrata est nomine *Additamenta ad Aruch* (מוסף הערוך).

Quum citant Rabbini sectionem cadaveris a discipulis R. Jismaëlis institutam (vid. pag. 30), dicunt, illos 252 membra invenisse; dum Rabbini semper statuunt hominibus esse 248 membra 5). Haec contradictio ita explicant: »quia explorarunt feminam, cui duo sunt *cardines* (צירים) et duae *januae* (דלתות) numeraverunt 252." R. Akiba addit aliud membrum, *clavem* (מפתח), quod vocat, quae clavis tam exilis est, ut forsan coquendo dissoluta fuerit; quare discipuli R. Jismaëlis eam non annumeraverunt. (*Bechoroth*, *fol.* 45*a*). Quasnam autem partes Rabbini volunt hisce nominibus? Ginzbürger (*Diss. laud. p.* 11.) *cardines* habet *labia*, *Januas prolabia* (Nymphas), et *clavem musculum clitoridis*. Ph. Philippson (*Die Jisraëlitische Bibel von* L. Philippson, *II. p.* 267) nomine *cardinum* intelligit *orificium uteri*, nescio tamen quanam auctoritate. Profecto si delineationem uteri, quam Moschion (*Cap. VI.*) dedit, in censum adscribimus, pars illa, quam orificium vocat, aliquomodo quidem *cardinem* aemulatur; sed Talmud loquitur de *duabus cardinibus*, de *duabus januis*; haecque animadvertens, — nisi velis orificium internum et externum, quod valde probabile non est, — explicationem Docti. Ginzbürger non rejicerem. Verum loco musculi clitoridis 6), ipsam clitoridem sumerem, quae

5) *Membra* אברים vocant Rabbini varias *partes* corporis humani, constantes ossibus, carne et tendinibus, uti digiti cet. vel etiam tales quae ossibus carent, uti linguam, lienem, cet. vid. Maimon. in *Jad Hachasak. Hilchoth Maacholoth assuroth.* (*de cibis vetitis*) V. 2.

6) Videtur Ginzbürger hanc ob causam, clavem illam *musculum* clitoridis designasse, quia verbum מפתח, participium τοῦ Hiphil verbi פתח verbotenus sumsit, ergo *qui aperire facit.*

revera clavem aliquomodo aemulatur. Fateor tamen hanc etiam explicationem omnis difficultatis non esse immunem.

§ 3.

*A brutorum corporis fabrica non concludendum ad fabricam corporis humani*

Nolunt Rabbini, semper concludi a brutorum corporis fabrica ad hominis formationem, et praesertim non, quod attinet ad partes genitales. Dicunt enim, (*Chulin*, 68 *a*) »*a bestia ad hominem non est concludendum; nam* »*bestiis non est vestibulum; et ab homine ad bestiam* »*non est concludendum, quia vultui* (hominis) *inest quid* »*honorabile.*" Sensus est: corporis humani fabrica longe alia est quam fabrica brutorum; et hanc ob rem ea quae sectionibus brutorum inveniantur, non omnino ad humanum corpus possunt applicari. Non vero ita omnes veteres cogitaverunt; nec ipse Galenus dubitat, omnia quae in brutis repererit ad humanum corpus accomodare, licet ex nonnullis locis suorum scriptorum uberrimorum pateat, eum aliquando quoque hominum cadavera dissecasse7): — statuit autem, simiarum partes a partibus humanis non admodum discrepare; et hinc saepe ex repertis in simiarum cadaveribus ad corporis humani fabricam concludit. (Cf. e. g. ejus librum: *de uteri dissectione* K. II. *p.* 887). Si Galenus semper cogitaverat uti Rabbini, multos errores non commisisset, neque serviles Galeni asseclae medii aevi egissent de *uteris*, *de cornibus uteri*, *de cotyledonibus* aliisque multis, quae sectiones brutorum eos docuerant.

---

7) Cf. de *Anatom. administrat.* Lib. IV. C. V. et Isensee: *Geschiedenis der Geneeskunde en hare hulpwetenschappen etc.* door L. Ali Cohen, p. 218, ibique *annotat. doct.* Cohen.

## §. 4.

*De uteri excisione.*

Uterus si deficit, nullas molestias inde oriri, patere videtur e sequenti loco: (*Bechoroth*, 28 *b*.) »*Et* »Tudus *Medicus dixit*: *nulla vacca nec sus ex Alex*»*andria in Aegypto proficiscitur, cui non excidant* »*uterum, ne pariet* 8)." Volunt ergo his verbis, animalia, licet iis uterus exstirpatus sit, tamen superesse posse, illamque operationem iis non esse lethalem.

*De semine muliebri.*

Credebant quoque Talmudici feminas praeditas esse semine, idque putabant rubri coloris. (v. g. *Nidda*, 31 *a*), Non mirandum Rabbinos tali doctrinae de feminarum semine fuisse addictos, quum Hippocrates, Aristoteles, Galenus pluresque alii, imo multo recentiore aetate, credebant feminis esse semen; licet Zeno et omnes Stoïci feminis semen abnegaverint. (*Dictionn. des Scienc. médicales. Tom. XVIII. p.* 41). Illa theoria diutissime viguit, omnesque medici Galenum insequentes semper de semine feminarum scripserunt; donec Harveijus Stoïcorum doctrinam restauravit, et demonstrare conatus est, mulieres semine carere. (Conf. ejus *Exercitat. de generat. animal. Lond.* 1651, *p.* 95). Ovaria illis temporibus veniebant nomine *testium muliebrium*; verum anno 1667 hanc theoriam aliquomodo infregit Stenon (*Element. myolog. Specimen. p.* 117.) et praesertim nostras Regnerus de Graaf, (*de*

8) Licet quidem suum intestina humanis aequiparent, non tamen cum Doct. Fulda facerem, adscribente Rabbinis hanc ob causam opinionem, feminae humanae uterum posse exstirpari sine vitae periculo. Per analogiam id quidem deducere possemus; sed explicite nullibi talia Rabbini protulerunt. Vid. Fulda in Siebold's *Journal für Geburtshülfe. Bd. VI. st. I p.* 32

*mul. organ. generat. inservient.* In *ejus opp. omn. Cap. XII. p.* 292. *L. B.* 1677).

Mulieris corpus, ajunt Talmudici, ad infantes concipiendos est aptissimum, idque cum cella comparant in qua cibi servantur. Dicunt enim, (*Erubin, fol.* 18 *b.*) »*Ex hisce discimus, Deum Hevam aedificasse ad cellae* »*formam. Sicut illa cella inferne est lata et superne* »*angusta, ad recipiendos fructus; sic et femina lata est* »*inferne et angusta superne, ad recipiendum infantem.*" 9)

---

## B.

### EMBRYOLOGIA.

### § 5.

*De formatione Embryonis prioribus stadiis evolutionis*

Multifaria Rabbinis fuit occasio, embryones humanos perscrutandi et investigandi; adeoque non mirandum, in Talmude non pauca ad Embryologiam pertinentia obvenire. In Tractatu *Nidda* (*fol.* 25 *a. b.*) agitur de femina, quae abortit *molam acupictam* (שפיר מרוקם) i. e. abortus embryonis adhuc tenerrimi (Maimon. *Hilchoth. Issur. Biah. X. Hal.* 2.). Hac occasione, Rabbi Abba Schaul de formatione embryonis humani ulterius ita disserit:

---

9) »Der Weibliche Rumpf hat daher die Form eines Kegels »mit breiter Basis und schmaler Spitze," dicit Busch: *Lehrbuch der Geburtskunde.* §. 40.

»**Abba Schaul** *dicit: initium for-* »*mationis* (foetus) *est a capite ejus, et* »*duo oculi ejus uti duo oculi muscae,* »— **R. Chija** *docuit: et distant a se* »*invicem, — duae nares uti duo oculi* »*muscae, —* **R. Chija** *docuit; et* »*appropinquant se invicem, — et os* »*ejus est expansum pili adinstar, et* »*ejus corpus* 1) *uti lens; et si puella* »*fuerit, vagina ejus uti granum hor-* »*dei in longitudine* 2), *et incisio* 3) »*manuum et pedum non est ei.......* »......... *et non explorent eum* 4) *in* »*aqua, quia aquae sunt durae. et* »*efficiunt ut pereat; sed explorent* »*eum in oleo, nam oleum molle est et* »*nitidum eum reddit, et non videant* »*eum nisi sole* 5). *Quomodo explo-* »*rant eum? Quomodo explorant eum!* »*Uti diximus. Sed quanam re explo-* »*rant, ut sciant utrum mas sit an* »*puella?* **Abba Schaul Bar Nas,** »*quem dixerunt etiam* **Abbam Schaul** »**Bar Remesch,** *dixit: afferatur ra-* »*mentum ligni cujus apex glaber est, et* »*moveatur in eum locum* 6): *si fricet* 7) »*certe mas est, sique non, certe femella* »*est. — Dixit* **Rab Nachman,** *dixit* »**Rabba Bar Abuha:** *id modo* »*dictum est* (de casu), *quo versus supe-* »*riorem* 8); *sed si a lateribus* 9), *dicere* »*possum parietes uteri esse. Dixit*

1) Membrum virile. **Maimonides** rem confudit, et putavit *corpus* hîc significare corpus universum. Cf. tamen **Raschi** ad nostrum locum.

2) Fissa.

3) Forma.

4) Embryonem.

5) Luce solari, ut singulae partes melius dignoscantur.

6) Sc. in locum pudendorum.

7) Si impedimentum aliquod percipiatur.

8) partem foetûs movetur ramentum

9) moves ramentum, tunc obstaculum possent esse uteri parietes.

10) Uti granum hordei longitudinaliter est fissum, sic quoque embryo debet investigari in directione longitudinali. **R. Ada** ergo corrigit et emendat quae supra sunt dicta: »*et si puella fuerit, vagina ejus uti gra-*

»R. Ada Bar Ahaba: *Didicimus*, »*si puella sit, vagina ejus* (est) *ut* »*granum hordei fissum* 10). *Et roga*- »*vit* R. Nachman: *nonne forsan fu*- »*niculus testium* 11) *potuisset esse*? »*Dixit* Abaje: *nunc* 12) *quum testes ipsi* »*nondum sunt perceptibiles*, *jam per*- »*ciperent funiculum testium!* ........ »R. Amram *dixit: femora duo ejus* »*sunt uti duo fila rubra; et* R. Amram »*de iis dixit* 13), *uti subtegminis*; — »*et duo ejus bracchia sunt uti duo* »*fila rubra*, *et dixit* R. Amram *de* »*iis* 14), *uti fila staminis. Dixit* Sche- »muël R. Jehudae: *Vir docte! ne* »*facias id* 15). *nisi jam habeat pilos.*"

*num hordei in longitudine*;" et sic alterum Rabbinum refutat, addendo verbum, »*fissum*"

11) Sc. Funiculus spermaticus.

12) Eo tempore.

13) Sunt crassitudinis fili subtegminis.

14) Crassa sunt.

15) Sc. si vis declarare num certe sit infans, ita ut mater polluta esset ob partum

Priorem sententiam Abbae Schaul mutatam aliquomodo legimus in *Sotah*, *fol.* 45 *b*, ubi sequentia occurrunt:

»*A quonam* (loco) *foetus formatur? a* »*capite ejus.* Abba Schaul *dicit:* »*ab umbilico ejus, et emittit radices* »*suos hic et illic. Sed illa* 1) *non est* »*opposita* Abbae Schaul; *quia* »Abba Schaul *opinionem suam modo* »*dixit*, *quod attinet ad illud forma*- »*tionis; nam infans quum formetur, ex* »*medio suo* 2) *formatur*, *sed quod* »*attinet vitam ejus, secundum omnes in* »*nare est, uti scriptum est*: *(Gen. VII.* 22) »*Omnia quae spiritum vitae in* »*nare habent.*""

1) Illa opinio, foetum a capite inde formari; nam qui ea statuunt, loquuntur modo de vitae sede.

2) Ex umbilico.

Videtur tamen in ipso textu quaedam corruptio exstare. In loco nempe illo Tractatus *Nidda* Abbam Schaul dicentem audivimus „foetum a capite inde formari," dum alio loco (*Sotah*, 45 *b*) refertur: Abbam Schaul censisse, infantem *ab umbilico* formari. Haec difficultas vero solvitur, si cum Baal Aruch (175 *b.*) et Rabbenu Tam, (*in Thosphath ad h. l.*) loco תחלת ברייתו מראשו (*Nidda*), — h. e. *initium formationis a capite ejus est* — legamus תחלתברייתוכרשון, — h. e. *initium formationis est uti locusta* 1); — priore ergo in loco sermo tantum erit de habitu et forma totius embryonis, dum altero loco, in Tractatu *Sotah*, ortus embryonis memoratur.

Dolendum, Rabbinos non accuratius determinasse tempus evolutionis, quo viderit Abba Schaul illum embryonem. Ea autem dubia per Mischnam antecedentem auferuntur (*fol.* 24 *b.*), siquidem ibi statuatur: »feminis, quae abortiunt molam talem acupictam, dies computandos esse purificationis *et* propter marem *et* propter puellam; eaque hanc ob causam statuunt, quia nondum potest dijudicari utrum mas sit an puella." Alio loco censent, infantem esse formatum die 41° (*Nidda*, *fol.* 30 *a.*), et quae femina hoc die abortit, est polluta *et* ob marem *et* ob puellam; ergo nostro loco sermo esse videtur de foetu circiter VI hebdomadum.

---

1) Cf Aristoteles *Historia animal. Lib. VII. c* 3. (*Editio* Schneideri). »Masculus si quadragesimo exeat die, atque in »aliud quippiam indatur, diluitur atque aboletur. Sin in aquam »frigidam, consistit ibi tanquam in membrana. Ea deinde di- »scalpta, apparet foetus quantitate formicae grandioris, partesque »ipsae conspicuae sunt, tum ceterae omnes tum genitale ipsum »atque oculi sicut in aliis animalibus maximi"

§ 6.

*Comparatio eorum quae dicta sunt § 5 cum iis quae ab aliis Medicis priscis scripta sunt eodem de argumento.*

Videamus nunc paullo accuratius quae Rabbini nos doceant, et comparemus dogmata Talmudicorum cum iis, quae ab aliis veteribus Medicis de eodem argumento scripta sunt. Ordiamur ergo ab illis quae de umbilico dicuntur.

Magna exstat confusio circa evolutionem embryonis in scriptis, quae immerito nomine Hippocratis veniunt; dum in genuinis Hippocratis scriptis de nostro argumento nil fere tradatur. Umbilicum, vel potius locum abdominis quo funiculus umbilicalis corpus foetûs intrat, auctor libri *de natura pueri* (in initio) jam primo tempore vidit formatum, ubi loquitur de ovo abortivo, secundum suam computationem, 6 dierum. Rudis tamen omnino est imago hujus embryonis; sermonem tantummodo facit Auctor de membranis et umbilico, et nihil amplius habet. Galenus (*de foetus formatione. K. T. IV. p.* 660 sqq.) simul magnas partes in evolutione venis umbilicalibus tribuit, eodem fere modo ac Abba Schaul 2).

Licet itaque apud nonnullos legamus, uti diximus, foetum *locustae* instar formari, — alii tamen, uti *noster* textus habet, foetum *a capite inde* formatum credebant 3). Et haec aliquomodo conveniunt cum Galeno,

---

2) Abba Schaul aequalis fuit R. Jochananis Ben Saccai; floruit ergo ultimis annis seculi I. p. Chr. (*Seder Haddoroth*, 149*b*. Maimonides *in praef. ad Seder Seraïm*).

3) Licet equidem crederem, in *Nidda*, *fol. 25 a.* legendum esse »initium formationis ejus est uti *locusta*,'' aliam tamen lectionem in ipso textu retinui, cum in omnibus nostris hodiernis editionibus haec lectio exstet. Quaenam tamen lectio genuina sit

qui dicit: »quando vero primum apparere incipiunt, ma-»xima sunt tria haec ex vicino inter se sita, et se mutuo »contingentia. Principium quidem nervorum futurum, quod »cerebrum appellamus, in altiore sede locatum; subjacent »autem ipsi cor et hepar mutuo se contingentia." (*De Semine liber A.* K. *IV.* 541). Caput ipsum tamen ultimo formatur: »Postea igitur tandem tertio temporis ordine, »cerebrum et omnes faciei partes formatae sunt, quando »jam et artus distinguuntur, et omnis, si quae prius dicta »est pars, ad structurae suae absolutionem venit." (Galen. *de foet. format.* K. *IV. p.* 672.). Monere certe opus non est nostrâ aetate, nullum dubium amplius superesse, quin foetus ab umbilico inde formetur; id quod sponte elucet, si animadvertamus quantas partes agant vitellum et vesicula umbilicalis primo tempore evolutionis.

Idem illud nostra aetas docet, quod ad formam oculorum, narium et oris. Hebdomade enim sexta (die 35°—42°) oculi adhuc valde parvi longe a se distant, dum primordia narium sibi propiora sunt. Os veri nominis tale quidem nondum exstat, sed jam adest apertura vel aditus ad intestinum initiale, quae valde lata est, attamen non multo amplior quam Talmudici statuunt: »*et os ejus expansum est pili adinstar*" 4).

---

et antiquior, certo pronunciare non auderem. Videtur quidem prior lectio (*locusta* cet.) genuina esse et dein a juniore quodam Rabbino fuisse correcta. Rabbinos nonnullos quoque »a capite inde formari embryonem" defendisse, patet ex verbis in *Sotah, fol. 45 b.*

4) Cf. de his: S. Th. van Sömmerring: *vom Baue des Menschlichen Körpers: neue umgearbeitete original Ausgabe.* Th. VII: Th. L. W. Bischoff: *Entwickelungsgeschichte der Säugethiere*

§ 7.

*Continuatio.* Apud nullum auctorem antiquitatis, haec quae attulimus ita descripta reperies, nec illa quae sequuntur, quaeque pertinent ad descriptionem partium genitalium, excepto Galeno, qui jam observavit partes genitales sero efformari. Dicit nimirum Galenus: (*de usu part. corp hum. Lib. XIV. K. IV. p.* 168.). —»Ut enim ana»tomici ipsi nos docent, ab uno hoc principio motus ut »semen in uterum est conjectum, et certe diutissime »post, neutrum pudendorum adhuc formatur, ignorabis»que, sit ne mas an foemina quod conceptum est, postea »vero tandem deprehenduntur, fitque perspicuum."

Patet simul ex modo, quo inquirebant Talmudici utrum puella esset embryo an mas, illos naturam quidem rite perscrutasse, inventa tamen eos non bene dijudicasse. Nam si descriptionem foetûs, quae loco allato datur, uniusejusdemque temporis esse ponamus, atque cum ea conferamus, quid nostra aetas doceat de partium genitalium efformatione, tunc elucet, Talmudicos ea quae in utroque sexu plane sunt aequalia, diversa habuisse: tempus enim, quo rite dignosci possit inter sexum masculinum et femininum, est in foetu humano hebdomade circiter XIV: primordia genitalium autem jam oriuntur ineunte hebdomade VI$^{a}$ (die 35°—42°); tunc tamen nondum aliquod exstat discrimen inter utrumque sexum; adest canalis uro genitalis, et corpus aliquod eminet, quod eodem jure penis ac clitoris haberi potest. (Bischoff. *l. c. p.* 377 *sqq.*). Rabbini itaque rite

---

*und des Menschen. Leipzig 1842. p. 207 sqq. 234, 300*: — et Busch *und* Moser. *l. c. Thl. I* Art. *Aetas.*

observaverunt, sed similitudine in errorem ducti, corpus illud neutrum masculinum declarabant; testimonio satis perspicuo, Talmudicos bene observasse sed observata non bene dijudicasse. Quibus accedit, omnes foetus abortivos priorum mensium, etiam femineos ob prominentem clitoridem, adspectum praebere masculini sexûs, ita tamen ut cuique rem accuratius inquirenti brevi pateat error. (*Vid.* Busch *und* Moser *l. c. I.* 29.).

Eodem fere tempore (hebdomade V.) extremitates superiores et inferiores magis magisque prodire incipiunt et cum filo magnam habent similitudinem, aemulantur nempe petiolos, quibus nec manus nec pedes separatim dignosci queunt, uti noster Rabbi ait: »*nec forma* »*pedum, nec manuum est ei.*" Inter hebdomadem VI—VII petioli illi magis accrescunt, manus pedesque separatim evolvuntur et digiti in conspectum veniunt. (Bischoff *l. c. p.* 428.). Simul monendum est, extremitates superiores paululum magis esse evolutas quam inferiores. (Bischoff: *l. mox c.*), quod R. Amram quoque notasse videtur his verbis: »*et femora ejus sunt uti duo fila* »*rubra, — et* R. Amram *de iis dixit: sunt crassa uti* »*fila subtegminis; — et duo ejus brachia sunt uti duo* »*fila rubra, — et dixit* R. Amram *de iis, et crassa* »*sunt uti fila staminis,*" — ergo extremitatibus inferioribus crassiora.

Quod ad sententiam Schemuël*is* dicentis: »R. Je»huda*m matrem non immundam debere declarare* »*propter partum, nisi jam orti fuerint pili,*" ita certe ratiocinatus est Schemuël: Tantum tempore, quo pili primi erumpunt distingui potest sexus foetûs, et eo tempore itaque sine omni dubio declarare possumus, num embryo qui abortu prodierat, mas sit an puella. Haec

saltem ex verbis Schemuëlis diducerem. Et res vere ita se habet: nam secundum Cl. Valentin (*Entwickelungs Geschichte des Menschen. p.* 275.) primi pili jam ad finem mensis tertii vel circa medium mensem quartum erumpunt, ergo hebdomade XIV$^{a}$—XV$^{a}$; eodem itaque tempore, quo secundum Cl. Bischoff (*l. c.* 378.) vere dignoscere possumus inter marem et femellam 5).

---

5) Inter tot viros praeclaros, qui in Talmude recensentur, ille Schemuël certe non ultimum tenebit locum. Natus fuit ex familia nobili sacerdotum, vixit tempore R. Jehudae Sancti, cujus medicus et discipulus fuit. Obiit Ao. mundi 4010 = 250 p. Chr. N. (*Seder Haddoroth. Zemach David*); secundum alios (Jost) Ao. 270 p. Chr. Multa ad Medicinam pertinentia et ab illo doctore prolata in Talmude hic et illic dispersa obveniunt, et omnium quarumvis Medicinae partium nonnullae sententiae ejus exstant; dicitur quoque ad Medicinam de industria se applicasse. Inter sua remedia valde celebratur collyrium (*Sabbath 108 b*). Id certe verum est, Schemuëlem multo puriore doctrina medica fuisse imbutum quam omnes alios Rabbinos Talmudicos; qui cum his etiam ipsi consentiunt, dum in doctrinis embryologicis, et in doctrina de morbis mulierum ejus auctoritatem maximi semper habebant. Sic enim narratur: (*Nidda, fol. 25 b*): »*Et fuit abortus, qui venit coram* Schemuêle. *Dixit* Schemuêl: »*is est filius dierum 41; numeravit a die quo* (femina) *se lavavit* »*usque ad illum diem, et non fuerunt nisi dies 40. Et dixit: illa femina durantibus ejus mensibus viro est aggressa. Ligârunt eam* »*et confessa est* (se durante menstruatione cum marito concu- »buisse). *Hinc* (constat) Schemuëlem *esse magnum* (peritis- »simum) *virum* (Embryologiae).'' Licet ex hac narratiancula aperte pateat, Schemuëlem Embryologiae peritissimum fuisse, id vero hyperbolicum censerem, quod definiret ad unum diem aetatem embryonis. Modus, quo exploravit aliquomodo illustratur in *Nidda, fol. 25 a.* In sequentibus, multiplex erit occasio doctrinam ejus obstetriciam exponendi. — Non minus in Astronomia

Quae dein loco allato memorantur, de modo quo tractari debeat embryo explorandus, haec nos docent Rabbinorum experientiam et consuetudinem. Aqua enim macerat omnes partes, eas emollit et dissolvit; oleum autem non ita agit; et lux solaris clara ad embryologicas observationes instituendas, certe valde idonea est. Rabbinorum consilia itaque optima sunt, et ex illis videmus Talmudistas magna gavisos esse experientiâ hac in re. De ceteris quae l. c. obveniunt, pauca modo dici possunt: sunt mala mixta bonis!

## § 8.

*Continuatio.*

Totus locus allatus nos aperte docet, Rabbinos quam maxime in disquisitionibus embryologicis humanis fuisse versatos; plurima profecto, quae dixerunt, nostro adhuc tempore valent. Nullum dubium superesse potest, quin saepissime embryones humanos perscrutaverint Rabbini, variis stadiis evolutionis. Et quantam differentiam sane observamus inter doctrinam sanam veramque Talmudistarum, et ea quae leguntur v. g. in libro, false Hippocrati adscripto, *de carnibus* (Hippocr. *Opp. omn. Ed. Foës. Sect IV. p.* 34.): »Ac primum quidem,

---

versatus fuit, ita ut *Jarchinaeus*, *astronomicus*, *lunaticus*, cognominaretur; et tradunt Schemuëlem dixisse: »*lucidae mihi sunt viae coeli ac viae Nehardeae*," urbis nempe quam inhabitavit (*Berachoth*, *58 b.*). Amicissimus fuit Rabbae Arichae, vulgo Raf dicti, eruditionis illi aemuli, et fere semper conjunctos eos invenies, ubi sententiam aliquam vel ex religione vel ex jure civili cet. proferunt. (Ulterius de Schemuële. Cf. *Bikkure Haïttim ad annum 1827 p. 14 sqq. Seder Haddoroth p. 151 a. sqq. et alios*).

»ubi genitura ad uteros pervenerit, habet intra *septem* »*dies*, quaecunque, ex corpore ei accedere necesse est. »Id vere quomodo noverim fortasse quis mirabitur, verum »multa ad hunc modum vidi. Meretrices publicae, quae »in se ipsis saepius id expertae sunt, ubi cum viro con»gressae sunt, noscunt quando conceperint, moxque »conceptum intra se perdunt, quo postea jam perdito, »veluti caro excidit. *Eam in aquam conjectam* si accu»ratius inspexeris, membra omnia habere deprehendas, »et oculorum regiones et aures et brachia. Quin et »manuum digiti et crura et pedes et pedum digiti et »pudendum et reliquum totum corpus in conspicuo est."

Omnia, quae explicavimus, satis superque demonstrare videntur, foetum, quem describunt Talmudici, aetatem VI hebdomadum non superare.

## § 9.

*De vario conformationis tempore pro vario infantis sexu.*

Magni momenti porro est Rabbinorum discussio de tempore quo foetus sit conformatus, quo itaque constet utrum mas sit an puella, hoc est tempus, quo secundum veteres foetus omnia jam possideat membra, idcirca formatus sit. Ab eo inde tempore, circa quod tamen varias protulerunt sententias, partes foetus in diem increscunt, dum formam suam jam acquisiverunt. Non mirum itaque, Rabbinos huic quoque doctrinae fuisse addictos. Legimus sequentia, in Tractatu N i d d a, *fol.* 30 *a.* a doctoribus Mischnicis statuta: »*quae abortit die* 40° »*non suspicatur de foetu, die* 41° *sedeat pro mare, pro* »*puella et pro menstruis.* R. J i s m a ë l *dicit : die* 41° »*sedeat pro mare et mensibus, die* 81° *sedeat pro mare,* »*puella et mensibus, quia mas perficitur die* 41° *et*

»*puella die* 81°. *Et sapientes dicunt: eadem est creatio* »*maris et eadem creatio puellae, ambo die* 41° (perfi- »ciuntur)." In commentario (*Gemara*) hujus Mischnae, sapientes sententiam ita stabilire conantur: *Dixerunt* »R. Jismaëli: *Factum est sub* Cleopatra *regina* »*Alexandriae, ut condemnaverint capitis ancillas ejus* »*ab imperio, et exploraverunt et invenerunt utrumque* »*die* 41°," nempe marem et puellam. Contra hanc objectionem doctrinae suae contendit R. Jismaël, »*probatum non esse, servas illas jam* 40 *diebus ante gra-* »*vidas non fuisse factas.* Respondent ei Rabbini: סמא דנפצא אשקינהו »*dederunt illis venenum bibendum, quo* »*abortus efficeretur*:" quibus R. Jismaël iterum respondit: איכא גופא דלא מקבל סמא »*sunt corpora in quae venena* »*non agunt* (*non accipiuntur*)," His tamen nondum contentus, R. Jismaël pro sua thesi cadaverum sectiones refert, narrans sc. »*Factum est sub* Cleopatra »*regina Graeca, ut servae ejus capitis damnatae fue-* »*rint ab imperio, et exploraverunt et invenerunt marem* »*die* 41° *et puellam die* 81°." Hoc etiam argumentum refutant Rabbini dicentes: durantibus 40 illis diebus, per quos illa serva diutius in vita fuit servata quam illa in qua repertus fuit mas, illam praegnantem fuisse factam, et, cadaveris sectione institutâ, foetum non 81, sed 41 dierum, repertum. Sed R. Jismaël: »*custodi eam* »*tradiderunt.*" Cui Rabbini: »*non datur tutor libidinis,* »*et forsan ipse custos cum ea coïvit, et tunc modo* »*gravida fuit reddita.*" Sed pergunt: ודילמא אי קרעוה הך דנקבה בארבעין וחד הוה משתכחת כזכר »*et forsan si secta fuis-* »*set, illa* (serva) *in qua reperta est puella, die* 41° (eodem die ac altera), *tunc eam forsan invenissent uti* (servam quae) *masculum* (gestabat, tunc puellae formatio ita

fuisset progressa ac formatio maris). *Dixit* Abaje: »*signa eorum erant aequalia.*"

Prioribus illis Rabbinorum verbis, commentator Raschi adjungit; ancillas illas gravidas fuisse factas, priusquam occiderentur, experimenti causâ. Expressis quidem verbis ea in textu non dicuntur, ex sequentibus vero omni dubio majora videntur; — quae opinio magis etiam comprobatur, si rationem habemus temporis atque regionis, quibus illa experimenta sunt capta. Fuit sub Cleopatra, regina Aegypti, vel uti Rabbini dicunt, Alexandriae, nepote Ptolemaeorum, Anatomiae quam maxime fautorum; qui, ut huic scientiae et Physiologiae prodessent, Herophilo et Erasistrato medicis, concessisse dicuntur, viventes maleficos, capitis damnatos, persecare et in eos experimenta capere: cujus historiae fidem Celsus 6) et Galenus 7) testantur. His accedunt quae in Talmude reperiuntur, optime illustrantia modum quo iis temporibus experimenta in homines vivos facta sint; et hoc loco aliquam lucem spargentia in magnam obscuritatem, qua omnia involuta sunt quae de Herophilo ejusque asseclis ad nos pervenerunt. Ratio vero qua errârunt,

---

6) »Longeque optime fecisse Herophilum et Erasistra-»tum, qui nocentes homines, a regibus ex carcere acceptos, vivos »inciderint considerarintque." (Celsus: *De medicina Lib. VIII. Ex recens. Leon. Targae. Argentorati* 1806. *Liber I. praefat.*).

7) »Qui (Herophilus) cum in aliis omnibus, quae ad »artem spectant eruditus satis fuit, tum vero ad dissectionis exqui-»sitissimam cognitionem pervenit, ac majori ea parte non in brutis, »ut plerique solent, sed in hominibus ipsis periculum fecit." (Galen. *de uteri dissectione.* K. *II. 895*). — In Dissertationis introductione retuli, discipulos R. Jismaël*is* secasse meretricem: sed locus et tempus quibus id factum fuerit, non memorantur.

licet Naturam rite inquisiverint, haec mihi videtur, quod die circiter 35°—42° omnis foetus masculum simulet, per corpusculum illud eminens, quod Rabbini *penem* habebant: die autem 80°—90° genitalia externa judicium minus fallax de sexu foetûs admittunt. Auctor libri *de natura pueri* 8), Aristoteles 9), Galenus 10), omnesque veteres medici eandem fere opinionem quidem fovent, — mares sc. prius conformari — ut cum iis loquar —

8) »Haec eo loco a me adducta sunt, quo demonstrarem, »membrorum distinctionem in pueris fieri, foemina quidem intra »duos et quadraginta dies ut longissime, masculo vero intra dies »triginta. Cujus rei fidem faciunt partus purgamenta, quae qui- »dem si suscepta puella fuerit, duobus et quadraginta diebus con- «tingunt, si vero masculus editus fuerit, quam longissime triginta »diebus.'' (Hippocrat. *Opp. omn. Ed.* Foës. *Sect. III. p. 39*). Cf. *de carnibus* librum. *Ib. Sect. III. p. 34.* ubi narratur, foetum septimo die jam omnia habere.

9) Aristotelis: *Histor. animal. Liber VII. c. 4.* »Foe- »mineus foetus, qui intra tres menses corruptus fuerit, fere in- »discretus videtur: qui vero de quarto mense assumserit, et fin- »ditur et celeriter adipiscitur aliam dearticulationem. Hucusque »universam membrorum perfectionem serius accipit femina quam »mas, et mense decimo frequentius quam mas oritur.''

10) Licet Galenus (*de formatione foetus.* K. *T. IV. p. 653*) dicat: »Non enim foetibus neque manifestae conformationis, »neque motionis neque editionis in lucem unus definitus est »terminus,'' tamen in alio libro aliter statuit: »Foeminam qui- »dem primam concretionem quadragesimo secundo die ut longis- »sime suscipit, masculus vero trigesimo die ut longissime;'' et porro: »qua ratione necesse est foeminam masculo posteriorem »conformari.'' (Galen. *Comm. III. in* Hipp. *Epidem. lib. B.* K. *XVII. A. p. 446.*): »Mas enim calidior est foemina'' dicit! — Aliorum sententiae obveniunt in libro spurio Galeni: *de historia philosophica.* K. *XIX. p. 337 q. Cf.*

quam femellas, — sed dies conformationis alios statuunt quam Rabbini, illudque hanc ob causam, quoniam embryones humanos hunc in finem non solum non exploraverunt, — verum quoniam insuper plerumque mere theoretice his de rebus disserunt. Posterioribus tamen temporibus de hac doctrina sermo amplius non fuit; Oribasius saltem, Aëtius et Paulus Aegineta de ea non loquuntur.

Quae autem Rabbini de vario evolutionis tempore proferunt, haec modo sexûs differentiam respicere videntur, nempe partium genitalium perfectionem; dum formationem infantis utriusque sexûs intra dies 40 fieri statuunt. Nam (*Bechoroth,* 21 *b.*) : »*dixit* Rab Chisda »*dixerunt enim, formationem* (יצירה) *infantis in muliere* »(absolvi) *per dies quadraginta* 11)." Differunt igitur Talmudistae quoque in eo ab Hippocrate, dicente: »Quidam igitur foetus tribus ac quadraginta diebus con»formationem habent, quidam quatuor mensibus." (*De victus ratione in acutis.* F. *Sect. IV. p.* 4).

*De formatione cutis.*

Eodem tempore foetum cute investiri tradunt Talmudici; quae sententia aliquomodo etiam nostra aetate valet, statuente epidermidem et corium jam initio mensis secundi formari: — epidermis vero serius a corio se separat, hebdomade nempe octava (Bischoff. *l. c. p* 453).

## § 10.

*De seminis vi, in variis partibus efformandis.*

Statuunt porro Rabbini, ad foetûs formationem non opus esse tota seminis quantitate; dicentes: (*Nidda,*

11) Cf. *Sanhedrin, fol.* 91 *b.*

31 *a.*) »*homo non formatur ex tota gutta* (seminis) »*sed ex puriori in ea.*" (Aura seminali!).

Variae partes corporis vel e semine virili, vel muliebri formantur: ajunt nempe in Tractatu Nidda (*fol.* 31 *a.*): »*Docuerunt Rabbini: tres socii sunt in* »*homine: Deus, et pater suus, et mater sua. Pater* „*suus ejaculat albidum* (לובן) (semen), *ex quo* (oriuntur), »*ossa, tendines et encephalon in capite ejus, et album in* »*oculo. Mater sua ejaculat rubrum* (אודם) (semen rubrum, »sanguinem), *ex quo formantur cutis, caro, pili et nigrum* »*in oculo; et Deus, sit nomen Ejus benedictum! dat ei* »*spiritum et mentem, vultum visumque oculi, et auditum* »*auris, atque loquelam oris et gressum pedum, ingenium* »*et intellectum. Et quum tempus advenerit discedendi* »*ex mundo, Deus, benedictum sit Ejus nomen! partem* »*suam capit; et pars patris sui et matris suae ante* »*eos jacet!*" — Cum illis verbis aliquomodo conveniunt quae Galenus (*de semine L. I. c.* 8.) scripsit: ossa enim, secundum Galenum, ex crassa et maxime terrestri seminis parte, calore quasi combusta, formantur, et carnibus cinguntur; et calore quoque, quod pingue in ossibus est, ex horum extremitatibus effluit, et ligamenta constituit, atque circa ossium superficiem periosteum. Quaecunque autem carnosa in corpore inveniuntur, ex sanguine (*Rubro* Talmudistarum) originem trahunt, membranosa vero omnia ex *semine* (*albo* eorundem).

*De firmatione tendinum.*

Tendines sero firmari, et membra sero inter se conjungi, patet ex sententia cujusdam Rabbini dicentis: (*Chulin,* 89 *b.*) »quod ad abortum cujus membra nondum »per tendines (גידין) connexa sunt" 12).

---

12) Hoc loco verbum גידין per *tendines* interpretandum esse

De secundinis.

Perpauca sunt, quae Talmudistae tradunt de membranis foetum cingentibus. Dicunt: foetum humanum a foetu brutorum differre, etiam per secundinas, (*Nidda, fol.* 25 *a, Bechoroth,* 19 *b.*); iis locis nimirum perhibent: »*signum* [characteristicum] *foetûs in bestiis teneris est* »*maculatio* (טינופ ?) *in magnis velamenta* (שליא), *in femina* (humana) *placenta et velamenta* (שפיר ושליא) 13). Descriptio quaedam generalis et valde obscura secundinarum sequenti modo obvenit in *Nidda, fol.* 26 *a.*: »*Docuerunt* »*Rabbini: Secundinarum* (שליא) *initium simile est filo* »*subtegminis, et earum finis similis est lupino* 14), *et* »*cavae sunt uti tuba* (*Trompet*), *et nullae secundinae* »*minores sunt quam pugni* (circumferentiae). R. Schimeon ben Gamaliël *dixit:* »*secundinae similes sunt*

---

censeo. Illa vox autem habet varias significationes. Cf. doct. L. Ali Cohen: *De dichter van het boek Ijob als duerkundige beschouwd. p. 39. nota 28.*

13) Sunt haec unica loca, ubi distinguunt inter שליא et שפיר. In *Berachoth fol.* 4 *a.* censerem, שפיר esse *molam*. Ceterum quum de secundinis loquuntur Rabbini, etiam in homine, vulgo solum illas voce שליא designant, et uti omnes veteres voce *χώριον*, ita et Rabbini hac voce placentam et velamenta intelligunt. Neque commentatores inter se conveniunt, quid verbis שליא et שפיר intelligendum sit; ad quam confusionem non parum confert anatomiae multorum doctorum imperitia; neque ipse Maïmonides meliorem lucem hîc spargit; in *Bechoroth* vero ad Mischnam I. cap. III. verbo שליא intelligit *velamenta*, et שפיר *placentam* habet, quibuscum etiam Baal Aruch (*ad voc.*) et Pinner (*Talmud Babli. Thl. I. Berachoth ad 4 a in Etymologia.*) conveniunt: שפיר denique etiam saepius significat: *molam, abortum*. Vid. Buxtorff: *in voce.*

14) Raschi quoque legit: וראשה דומה כתורמוס *et caput earum simile est lupino.*

»*stomacho galli ex quo exeunt tenuia* (intestina)." Haec omnia vaga sunt et valde confusa: jam ex usu promiscuo verbi שליא, nescimus utrum agatur de placenta, an de membranis; et ex solà confusione multae hunc locum interpretandi oriuntur difficultates, quae augentur etiam si rem accuratius contemplemur. »*Initium secundinarum* »*simile est filo subtegminus,*" nescio num velint initium formationis, vel initium sive finem superiorem vel inferiorem; »*et earum finis similis est lupino*" eàdem premitur difficultate. Raschi autem explicat: *quando increscunt secundinae, latae sunt uti lupinus.* Amnion quidem aliquomodo simulat formam fabae, sed tantummodo priore stadio evolutionis, et sic ad membranas, et iterum quidem ad amnion referenda sunt verba: „*et cavae sunt uti tuba.*" Placenta tamen nec initio formationis speciem habet fili, nec de ejus initio vel capite possumus loqui; neque placenta cava est; ergo de placenta non potest esse sermo. Altera iterum oritur confusio ex sententia R. Schimeonis, qui placentam videtur describere quando secundinas comparat cum ventriculo gallinarum, organo uti notissimum est, valde crasso et carnoso. Quidquid itaque sit, est locus certe *corruptus;* nam et Raschi pro parte aliter legit; et fateor me totam illam descriptionem aliter non intelligere.

## § 11.

*De infante octimestri.*

Uti statuit auctor libri spurii Hippocratici: *de partu octimestri*, sic etiam Rabbini foetum, qui octavo graviditatis mense in lucem edebatur, habebant non vitalem. Haec ita referunt:

*Jevammoth, fol.* 80 *a.:* »*Dixit* R. »Abuha (omnes qui habent signa) *cas*»*trati et sterilis et filius octavi* 1) *non* »*aestimantur* 2) *usque dum sint annos* »*viginti. Et filius octavi, num ille* »*potest vivere? Didicimus enim:* (*Sab*»*bath* 135 *a. Baba Bathra.* 20 *a.*) »»*filius octavi est lapidis instar, et non* »»*licet movere eum, sed sua mater se* »»*flectat super eum et lactet eum prop*»»*ter periculum* 3)." — *Sed putant hic* »*quum signa sunt perfecta* 4). *Uti di*»*dicimus: Quis est filius octavi? Cui*»*cunque nondum omnes inpleverunt* »*menses.* Rabbi *dicit: signa testantur* »*de eo* 5), *crines et ungues, qui non*»*dum sunt perfecti, tunc* (proprie qui»dem) *est infans septem mensium,* (sed) »*qui nimis diu moratus est* (in utero)." 6)

1) Qui mense octavo natus fuit.

2) Proprie, non faciunt ei factum; i. e. non aptus est uxorem ducere fratris sine liberis defuncti. Est jus judaïcum ex mente *Deut. XXV.*5 *sqq.*, sic dicti leviratus, de quo inprimis agit Tractatus *Jevammoth.*

3) Raschi addit, matris quoque est periculum, ne lac nimia copia in mammis coacervetur.

4) Nam si in vita superesse nequit, quomodo R. Abuha dicere posset: exspectandum est donec aetatem attigerit XX annorum. Vulgo enim hanc aetatem non attingunt.

5) Illum nondum esse perfectum.

6) Hoc est: infans talis mensibus 7 jam maturus fuit, sed dein adhuc in utero remansit per unum mensem.

Auctor libri *de octimestri* perhibet: „propterea que „eorum qui octavo mense eduntur nullus est superstes." Aristoteles autem dixit: „in Aegypto octimestres foetus vitales sunt, in Graecia vero plurimi intereunt" (*Hist. animal. Lib. VII. c.* 4). Plinius (*Histor. natural. Lib. VI. c.* 5.) narrat exemplisque proba, in Italia tales partus esse vitales. Moschion quidem vitales octimes-

tres habet, sed addit „difficulter quidam evadere solent." (Moschion: *De mul. pass. Ed. cit. cap.* 64). Rabbini certe infantes octavo mense natos superstites etiam quidem observaverunt; hoc vero quia cum illorum theoria non conveniebat, miro modo statuunt, esse foetum septimestrem, qui nimis diu in utero moratus fuit. Quod attinet ad *ungues et crines* talis foetûs, qui nondum sunt perfecti, cum illis conveniunt quae auctor libri *de superfoetatione* (Hipp. *Opp.* F. *Sect. III.* 42.) dicit: „cum „foetus minime vitalis natus fuerit, hujus ungues caro „supereminet, ungues vero tam in manibus quam in pedi„bus deficiunt." Haec de octimestri quidem eo sensu valent, quum ungues mense 8° adhuc breves et molles sunt, dum lanugo supra totum corpus est dispersa. (Busch *und* Moser *l. c. Bd. I.* Art. *Aetas. p.* 152).

## § 12.

*De superfoetatione.*

Inter argumenta embryologica, de quibus nostra etiam aetate non omnes conveniunt Auctores, pertinet doctrina *de superfoetatione.* Plurimi medici praeclari omnique fide digni multos publici juris fecerunt casus a se ipsis observatos, superfoetationem probantes; dum alii e contrario ex rationibus praecipue theoreticis, hanc doccrinam pervertere conati sunt, et superfoetationem omnino negaverunt. Casus affirmantes quoque retulerunt Rabbini (*Nidda, fol.* 27 *a.*). „*Dixit* Rab Acha *filius* R. Awi„rae: *dixit* R. Jitschak: *Factum est, ut infans ex„pectaverit post socium suum dies* 33. R. Joseph „*dixit:* 34 *dies.*" (*Ib. Ib.*) „*Dixit* R. Abbin *filius* R. „Addae: *dixit* R. Menachem *ex Kefar Schearim:* „*factum est, quod infans moratus sit post socium suum*

„*tres menses, et sedent ante nos in schola. Et quinam* „*sunt?* Jehuda *et* Chiskiah *filii* R. Chyae. *Sed* „*nonne* Mar *dixit: foeminam non fieri gravidam et* „*iterum fieri gravidam? Dixit* Abaje: *gutta* (semi-„nis) *una fuit, et divisa fuerat in duas, una perfecit* „*formam suam initio mensis septimi, et altera fine* „*mensis noni.*" Primo in casu gravida erat femina gemellis, quorum unus dies 33 ante alterum venit; in alio casu mulier peperit infantem, postquam tres menses antea primum infantem enixa est. Mar negat exsistentiam superfoetationis, uti Cll. Roose, Blumenbach, Ludwig, multique alii recentiores, quia femina jam gravida non iterum gravida fit; dum Rabbini, qui casus narrant, affirmant superfoetationem revera locum habere posse; id quod ab aliis multis quoque defenditur, ab auctore inde libri *de superfoetatione* ad nostrum diem usque. Rabbini Abaj*ae* singularis est opinio, assentientis Mar*i* feminam gravidam iterum gravidam fieri non posse; cum autem casus ab aliis Rabbinis memorantur, ex quibus pateret revera superfoetationem adfuisse, illas ita explicat, ut gutta seminis, quae feminam foecundaverit, in duas partes fuerit divisa, et exinde duo infantes sint orti, quorum unus mense septimo jam perfectus fuit et natus, alter serius perfectus, demum post novem menses in lucem fuit editus. Profecto necesse non erit, hanc explicationem demonstrare omni veritatis specie destitutam.

## § 13.

*De animatione foetus.*

Per multa secula Medici, Theologi et Philosophi disputaverunt de quaestione: utrum foetus in utero

materno animatus sit, nec ne? De industriâ in illam etiam inquisiverunt Talmudistae in Tractatu *de Synedriis* (*fol.* 91 *b.*), ubi sequentia leguntur:

»*Et dixit* Antoninus 15) τῷ Rab-»bi: *a quonam tempore inde animus* »*datur in homine, a tempore inde* »*commemorationis* 1) *vel tempore con-*»*formationis? Dixit* 2) *ei: a tempore* »*formationis. Dixit ei* 3): *num qui-*»*dem frustum carnis absque sale pos-*»*set per tres modo dies superesse et* »*foetorem non spargere? non aliter est* »*quin a tempore commemorationis in-*»*de* 4). *Dixit* Rabbi: *hanc rem ab* »Antonino *didici. Et* Antoninus »*dixit ei: a quonam tempore inde con-*»*cupiscentia mala hominem regit, a* »*tempore inde formationis, an a tem-*»*pore exitus* 5)? *Dixit ei: a tempore* »*formationis inde. Dixit ei* 6): *id si* »*ita esset, nonne illa* 7) *ei impelleret* »*ut exiret? non aliter est, quin a*

1) פקירה = commemoratio (*Gen. XXI. 1.*), conceptio, 40 dies ante יצירה formationem, vel tempus formationis.

2) Rabbi imperatori.

3) Antoninus.

4) Animus datur in homine.

5) Ex utero = partus.

6) Antoninus.

7) Concupiscentia mala.

---

15) In Talmude obveniunt multa loca, e quibus familiaritas R. Jehudae Sancti cum Romanorum imperatore quodam Antonino constat. Dissentiunt autem Historici, quisnam *Antoninorum* fuerit ille qui cum Rabbi tantam amicitiam coluerit. Nonnulli perhibent illum fuisse Antoninum, cui cognomen Caracalla (Jost); alii vero, crederem meliore jure, Marcum Aurelium vel Antoninum Pium (Rappoport.). Cf. *Kerem Chemed. Tom. IV et VII.* et *Litt. Blatt des Orients 1844. No. 17.*

»*tempore exitus inde!* Rabbi *dixit, illam rem mihi* »*docuit* Antoninus." 16)

Videmus ex iis, in Talmude statui: facultates mentales quidem in foetu se palam non facere, animam tamen jam statim ei inesse. Rabbi autem forsan Aristotelis doctrinae fuit addictus, statuentis (*in libro de anima*), animam non prius homini inesse quam sit natus 17).

§ 14.

*De situ et vita infantis in utero.*

Situm foetûs in utero egregie illustrat Tractatus *Nidda*, (*fol.* 30 *b.*), quo loco simul quaedam adduntur de vita foetûs. „*Explicavit* R. Samlaï 18):

---

16) Similia invenimus in libro false Galeno adscripto; *an animal sit, quod in utero est.* (K. *XIX. p. 168.*): »Eo perspicuum est, una cum jacto in uterum semine, insitam a creatore »universi esse animam, ut gubernandi vim corporis habeat." Cf. *Definition. medic.* K. *XIX. p. 451 sqq.*

17) Quod ad animationem foetûs, haec sunt addenda. »Stoïci »partem ventris [materni] non animal; utque fructus, qui stir»pium partes sunt, ubi maturuere, defluunt; ita et rem se ha»bere de foetu." (Plutarch. *de placitis philosoph. Lib. V. c. 15.* apud von Siebold: *Geschichte der Geburtshülfe u. s. w. p. 209*). Antoninus vero, secundum Talmud, contrarium statuit: et revera tempore Antoninorum, Academicorum doctrina magis magisque defendi coepit, *foetum sc. jam esse animatum.* Cum Stoïcorum placito aliquomodo conveniunt quae dicuntur in *Eirchin, fol. 7 a.* et alibi »*foetum esse ipsum corpus ma*»*tris*" »*esse femur matris.*" Capite vero foetûs nato, infans נפש = individuum, persona, habebatur, eique omnia jura competebant, quae cuivis alii homini. (Vid. porro ad partum abnormem ubi de *Embryotomia* agitur).

18) Floruit altero dimidio Seculo III. p Chr. (circiter 250-300).

*„Cui similis est foetus in intestinis matris suae? Ta-*
*„bulae scriptoriae convolutae! et ejus manus positae*
*„sunt ad duo tempora ejus, duae axillae supra duo*
*„genua ejus, et duae ejus calces contra nates ejus duas,*
*„et caput ei positum est inter femora, et os ejus clau-*
*„sum est, et umbilicus apertus, et edit ea quae mater*
*„edit, et bibit illa quae mater bibit, et alvum non*
*„deponit, ne forsan necaret matrem suam. Et quum*
*„exierit in aërem mundi, clausum aperitur et apertum*
*„clauditur; nam ea si non ita essent, ne unam quidem*
*„horam posset vivere!"* — Sic et auctor libri *de natura pueri* scripsit: „At vero puer ubi in utero exsistit, ma-
„nibus ad genas adhaeret caputque pedibus proximum
„habet; neque certo dignoscere queas, etiamsi puerum
„in utero videas, utrum caput sursum an deorsum vergat."
[Hipp. *Opp. F. Sect. III. p.* 26. Cf. Aristot. *Hist. animal. Lib. VII. c.* 7.].

Illam descriptionem R. Samlaï*i* si comparemus cum iis, quae nostra docuit aetas de situ foetûs in utero, tantummodo corrigenda sunt quae de manibus dixit: foetus nempe non quidem regulae et normae instar manus ad tempora habet positas, sed vulgo supra pectus decussatas tenet; cetera hodie fere eodem modo docentur. Et haec profecto, quam Rabbini dederunt, descriptio valdequam differt ab illa multorum imo recentioris aevi Auctorum; si nempe ex iconibus, ut plurimum ligno incisis, et seriori tempore illis operibus adjectis, concludere liceret ad ipsam Auctorum cognitionem physiologicam: — at vero incongruae tales delineationes bonam plerumque comitantur descriptionem 19).

19) Probant illa icones, adjectae operibus, quae conferre mihi contigit: nempe

Quae insequuntur loco citato, optime conveniunt cum iis, quae jam in libro *de octimestri* scripta sunt: „Um-

---

*Der Swangern Frawen und Hebammen Rossgarten*, primus forsan post medium aevum liber de arte obstetricia, typis editus anno 1513 Coloniae, vel ex aliorum opinione Vormatiae, cujusque auctor est Eucharius Rösslin, vel Rhodion. (De quo plura vide in Osiander, *Lehrbuch der Entbindungskunst.* Vol. I. Gott. 1799. p. 102-104.). Porro

*Den Rosegaert van de bevruchten Vrouwen: gheprent Thantwerpen, in die Baghijnen strate, bi mi* Jan van Ghelen (sine anno: sed certissime in prima quadrante seculi XVI): est forte hic libellus versio Belgica libri Gualtheri Hermanni Reiff, inscripti *Frawen Rosengarten*; omissis pluribus stultitiis, quas in illo reperiri notat Osiander l. mox cit. § 134. Situs foetus in utero optime hic est descriptus Fol. II.

*Hebamenbüchlin. Empfengnusz und geburt des menschen*, cet. *allen getreuwen Hebammen und Seugmütters zuwissen hoch von nöten.* 1561. Francofurti. (Videtur opusculum Euch. Rösslini mox citatum; quem vero emendavit et mutavit A. Lonicerus. Bona hic etiam descriptio sitûs foetûs. pag. 7 *b.*

Alberti Magni editio Hamburgica anni 1592, titulo: *alle geheimnusz und gebrechen des weiblichen geslechts.*

Ambrosius Paraeus, *de hominis generatione.* Cap. XIV. *de situ infantis in utero.*

Jacob Rueff, *de conceptu*, cet. Francof. 1587. Posteriora duo opera sunt recusa in J. Spachii *Gynaecologia*, Argentor. 1597.

Thomas Raynalde, *the birth of mankinde, otherwise named the womans-booke* London, 1604. 4to. In ipso hujus temporis libro reperiuntur perversae istae sitûs foetalis delineationes.

Melius illum situm jam antea docuerant icones in: *Ein schön lustig Trostbüchle von den empfengknussen und geburten der menschen, und iren vilfaltigen züfälen und verhindernussen, mit vil und mancherleij bewärter stücken und artznyen ouch schönen figuren*

„bilicus autem, per quem ad pueros ingressus patet, solus „ex reliquis corporis partibus, matri adhaerescit, per „quas vias eorum, quae ingrediuntur participes fiunt, „cum reliquae clausae sint, nec prius apertae, quam „puer exitum ex utero tentavit." (Hipp. *Opp.* F. *Sect. III. p.* 40.); dum in libro *de natura pueri* de foetu dicitur: „et sanguine a matre in uterum delapso incrementum accipit:" auctor vero libri *de carnibus* statuit, foetum ore suo nutriri.

Quae R. Samlaï dicit: „*foetus alvum non deponit*", nostris quoque diebus valet; etiamsi nos non statueremus, id si accideret, matrem exinde occumbere, quia in liquore amnii foetuum mortuorum meconii partes quidem inventae sunt, sine ullo tamen matris damno.

Talmudistae embryonem in amnio suo convolutum non incongrue comparaverunt cum nuce aquis innatante. Dixit enim R. Eleazar (*Nidda, fol.* 31 *a.*): „*cui foe-* „*tus similis est in intestinis matris? Nuci in pelvi* „*aquae* (aquâ repleta) *positae; homo ei imponit digitum,* „*et immergit nunc hinc nunc illic.*"

Undique Rabbini foetum partem ipsius corporis matris aestimant, et sic in *Jevammoth*, (*fol.* 78 *a.*) *San-*

---

cet. *durch* Jacob Rüff, *Burger und Steinschnyder der loblichen statt Zürych. Zürych 1569. 4to.* Etiam in

*'t Boeck van de Vroetwijfs, in 't welke men mach leeren alle heymelyckheden van de Vrouwen*, cet. *na* Jacob Rüff *overgezet door* Martijn Everaert, Amst. 1580.

Hos libellos, ut plurimum rarissimos, aliosque uti *von Weybern und geburten der Kinder durch* Q. Apollinarem, 1591. 4to, — *Schwangererer, Kreissender Wochnerin und Seugender Regiment*, Hall. 1591 cet. inveni in Bibliotheca cl. de la Faille, et perscrutatus sum.

*hedrin* (*fol.* 80 *b.*) „*foetum femur matris suae*" vocant, et in Tractatu *Eirchin* (*fol.* 7 *a.*) dicunt: „*foetum „esse ipsum corpus matris*," et ita passim per totum Talmud.

C.

DE MONSTRIS ET MOLIS.

§ 15.

*Quae monstra sunt infantes vere humani.*

Permulta scripta veterum, nec non medii aevi, temporis tam superstitiosi, referta sunt descriptionibus monstrorum cujuscunque generis: horum etiam Talmud nonnulla enumerat, pro parte quidem phantasmatica, plurima autem ut ludi naturae vere exsistentia. Doctores Mischnici, de monstris agentes, sequentem statuunt thesin primariam: *quodcunque femina in lucem edat, id debet habere saltem aliquid faciei humanae, si infans vere humanus sit accipiendus.* (*Nidda*, *fol.* 21 *a.*). Talis foetus infans aestimatur, si habet frontem, supercilias, oculos, maxillas et mentum formae humanae; os vero, aures et nasus, licet formam referant alicujus bruti, non impediunt quominus talis foetus humanus declaretur: quaestio itaque exsurgitur: *num mater propter eum sit polluta, nec ne?* (*Nidda*, *fol.* 23 *b.*). Disputant doctores porro: *utrum foetus sit accipiendus humanus, qui habet faciem hominis et corpus hirci* (חייש), *vel faciem hirci et corpus humanum; vel talis foetus, cujus facies*

*quidem est humana, attamen unum habet oculum, uti oculum bestiae.* Conclusio est secundum Mischnicos: si ei foetui insit aliquid faciei humanae, est infans, aliter non. — Foetus si nascatur formâ gaudens serpentis, mater est polluta ob partum, quia pupillam habet humanam (*Ib. Ib.*), — [ita Plinius narrat: (*Histor. Natur. L. VII. c.* 3.) »namque et serpentem peperit inter initia »Marsici belli ancilla]". Antiquitas, talium monstrorum originem variis ornavit fabulis, uti coïtu daemonum, brutorum, cet. cum feminâ humanâ, vel hominis cum animalibus: — quia autem satis nunc constat, concubitum inter bruta et homines semper esse sterilem, omnia illa, quae hac de re tam Talmudici quam ceteri Auctores veteres narrant, inter fabulas sunt recensenda.

## § 16.

*Enumerantur monstrorum variae species.*

De monstris autem qualia vere nascuntur, etiam nobiscum quaedam communicant Talmudistae. Sic legimus (*Nidda, fol.* 23 *b.*): »Rabbi *dixit:* (si) *fuerit crea*»*tus* (foetus) *uno oculo et uno femore ad latus, mater* »*immunda est;* (si fuerit creatus uno oculo et uno femore, »quae ambo sunt) *in medio, mater munda est. Dixit* »Rabba: *si oesophagus ejus est perforatus, mater ejus* »*est impura; si oesophagus est obturatus, mater munda* »*est. Docuerunt Rabbini: quae abortit corpus obtura*»*tum* (גוף אטום), *mater ejus non est immunda propter* »*partum. Et quid est corpus obturatum?* Rabbi »*dixit: quantum ab homine vivo potest auferri, nec* »*tamen moriatur. Et quantum* [sic rogatur] *ab homine* »*vivo auferri potest, ut moriatur*)?* R. Zaccai

*) Sensus est: quantum ab homine vivo auferendum esset, ut exinde istum hominem mori necesse sit?

»*dicit: ad genua usque.* R. Janai *dicit: ad anum ejus* »*usque.* R. Jochanan *dicit: ex nomine* R. Jose »Jozuae *filii: ad locum usque umbilici ejus.*" Quod ad alia monstra attinet nostro loco commemorata, omnia nostro etiam tempore ita observantur. Videntur Rabbini illo solo principio ducti, num foetus esset vitalis, nec ne, — ut declararent, feminam esse pollutam ex partu, nec ne? Hoc videtur probare monstrum illud duobus dorsis et duobus spinis dorsi instructum, — de quo infra, — ex quo mater non polluta declarabatur, quia illum foetum vivere non posse credebant, et hinc infantem non habebant.

Quod citaverunt Rabbini corpus obturatum, non abs re videtur referre ad classem *Peromeliae* (Gurlt) vel *Ectromeliae* (Geoffroy de St. Hilaire) monstrum nempe deficientibus extremitatibus inferioribus et imperforato ano 1) *Vid.* Busch *und* Moser. *l. c. III.* 505.

---

1) Describit Cl. W. Vrolik, (*Handboek der Ziektekundige ontleedkunde. Tweede deel. Amst. 1842. Aangeborene gebreken. p. 100 sqq*) monstrum quoddam, musei Groningani, (antea musei Cl. N. Mulder), capite et extremitatibus superioribus rite formatis, cujus autem pars inferior corporis est detruncata et quasi in conum obtusum desinit, dum ne rudimentum quidem extremitatum inferiorum neque genitalium adest. Credit vir Cl. observationem illius monstri unicam: si autem quae reperiuntur in Talmude de corpore obturato cum hoc monstro comparamus, forsan quidem Rabbinos, nomine »*corporis obturati*" idem descripsisse monstrum credere fas est. Cf. C. P. J. Wolff: *Diss. de monstris Sireniformibus. Amst. 1839. p. 53–57;* praesertim Tabula prima. — Vide porro quae de *Corpore obturato* dicentur ad caput de *Infante dissoluto.*

In eodem Tractatu (*Nidda, fol.* 24 *a.*) alia adhuc memorantur monstra his verbis: »*quae abortit* (foetum) »*cujus cranium est obturatum* (שגולגלתו אטומה)." Jarchi explicat: *cujus cranium deëst* (Anencephalum). — Porro »*quae abortit uti apex palmae* (כמין אפקתא דדיקלא)," nempe cujus membra superiora adsunt, pars autem inferior est sine ulla forma, non divisa, uti truncus palmae. (Raschi): hoc videtur monstrum *Sireniforme* 2). Mentionem adhuc faciunt de monstro, »*cum facie aliquomodo* »*compressa* (שפניו מוסמסין)": mater est polluta propter talem infantem. Citant porro monstrum, faciem habens omni forma destitutam (פניו טוחות), et narrant, filios R. Chijae talem habuisse casum; venerat nempe ad illos mulier, quae abortu ediderat foetum cui facies erat sine ulla forma; declaraverant matrem pollutam: Pater autem (R. Chija) filiis non consensit, et mulierem puram declaravit.

Eodem loco sequens occurrit monstrum: »*quae* »*abortit creaturam, cui sunt duo dorsa et duae spinae* »*dorsi: Dixit* Rab: *apud foeminam non est infans,*

---

2) Observationes talium monstrorum narrat quoque N. Rocheus: in libro *de morb. mul. curand. Cap. XXII.* (*Recus. in* J Spachii *Gynoecologia. Argent.* 1597. *p.* 308.); deinde nonnulli alii auctores. Ante aliquot annos praeceptor aestumatissimus de la Faille partu difficili tale monstrum sireniforme vidit natum: femina, quae illud peperit, per quinque posteriores graviditatis menses continuo praedixerat, se infantem edituram esse uno solo instructum crure, et quidem ex causâ vehementis terroris, quum vespere illi, in cubiculo soli, et operâ domesticâ sc. colo occupatae, subito mendicus elaeemosynam flagitans, monstraverat baculum, cruris amputati loco adfixum. Sceleton hujus monstri descriptum reperias a Cl. Vrolik, l. c. p. 110, et Wolff. *Diss. inaud.* p. 32-34.

»*et apud bestiam illicitus est ejus esus; et* Schemuël
»*dixit: apud foeminam est infans, et apud bestiam*
»*licitus est ejus esus.*" Porro (*Ib. Ib.*), »*quae abortit*
»*creaturam corporis non incisi, et creaturam capitis*
»*non incisi*" (בריית גוף שאינו חתוך ובריית ראש שאינו חתוך),— mater non est impura ex partu, nam infans circumcidi nequit, quia per octo dies non potest vivus superesse. »*Creatura corporis non incisi*" tale est monstrum in quo nullo modo membra, vel forma articulata, possunt dignosci. [*Peromelia* (Gurlt), defectus omnium extremitatum?] Sic et »*capitis non incisi,*" cujus caput nulla vestigia praebet oculorum, neque nasi, vel cujusvis formae in genere: censerem illud esse referendum ad classem *Aprosopiae* (Gurlt) vel *Triocephaliae* (Geoffroy de St. Hilaire): monstrum sine faciei formâ.

Aliud monstrum ita memoratur: (*Ib. Ib.*): »*Dixit*
»Schemuël: *quae abortit formam Lilith, mater ejus*
»*immunda est ob partum; est infans, sed sunt ei alae.*
»*Etiam ita didicimus: dixit* R. Jose: *factum est*
»*Simonae in aliqua femina, quae aborta erat formam*
»*Lilith, et venit coram sapientibus, et dixerunt: infans*
»*est, sed sunt ei alae.*" 3).

3) M. Pierquin écrit rélativement à un cas de monstruosité, qu'il a observé chez un foetus humain, et qu'il croit n'avoir pas encore été décrit. »Chez cet individu qui est du sexe femi-
»nin et qui paraît être à terme, on observe un repli cutané qui,
»partant des bords supérieurs des pariétaux, s'élargit considera-
»bl·ment, puis se rétrécit et va se terminer en pointe vers la
»région lombaire, offrant dans son ensemble la figure d'un cerf
»volant.'' *Comptes rendus des Séances de l' Académie des Sciences. Tom. XVIII. No. 24. Séance du 10 Juin* 1844. *p.* 1111. *Paris* 1844. — Ceterum notandum, *Lilith* significare hoc loco *vespertilionem*, ita ut vox »*alae*'' satis videatur accurata

## § 17.

*De Androgyno et obturato.*

Mentio saepissime fit in Talmude de duabus formis Hermaphroditismi, de *Androgyno* sc., et de *obturato* (אנדרוגינוס וטומטום). Forma *Androgyniae* satis superque nota est, neque hinc ulteriorem postulat explicationem. *Obturati* vero nomine intelligunt talem infantem, qui nec signa praebet virilitatis, neque genitalium muliebrium, sed *obturatus* est, — forte non perforatus? (*Vid.* Maimonides *in Hilchoth Jschus, cap. II. No.* 25.). De his, sequentia statuerunt Mischnici (*Nidda, fol.* 23 *a*): »*Quae abortit obturatum et androgynum,* »*debet polluta manere pro mare et femella. Obturatum* »*et marem* (quando abortit), *Androgynum et marem,* »*tunc sedeat pro mare et puella. Obturatum et puel-* »*lam, Androgynum et femellam, sedeat pro femella.*" Diebus enim purificationis pro puella simul comprehendunt illos maris, et in tali casu sedet et pro mare et pro femella 4). Quid autem proprie significat *obturatus*, valde videtur incertum. Num forsan sit monstrum ex ordine cryptorchidum una cum *hypospadia*? Illud crederem eo magis, cum probari videtur casu certe memorabili sequenti, qui legitur in Tractatu *Jevammoth* (*fol.* 83 *b.*). »R. Amme *dicit: quid fecit* R. Jehuda »*obturato ex Biri* (nomen cujusdam loci)? *Posuit* »*eum in sella et secavit eum, et genuit* (ille obturatus

4) De Androgyno etiam Hippocrates loquitur in Libro: *de victus ratione in acutis* (*Opp. omn. Ed.* Foës. *Sect. IV. p.* 15). Sic Plinius quoque narrat: »gignuntur et utriusque sexus, quos »Hermaphroditas vocamus, olim Androgynos vocatos, et in prodigiis habitos nunc vero in deliciis" (*Hist. Natural. Lib VII. cap.* 4).

»postea) *septem filios.*" In Mischna (*Jevammoth* 81 *a.*) loquuntur »*de obturato, qui laceratus est* [שנקרע = qui »secatus est] *et invenitur mas, non discalcebit.*" Videtur itaque exstitisse in casu mox citato R. Jehudae atresia, quam R. Jehuda cultro sustulit: itaque obtura»tus ille ex Biri revera *obturatus* fuit" 5).

§ 18.

*Rabbini duas species molarum assumserunt.*

Rabbini jam duas species molarum assumsisse videntur, quippe loquentes de *frusto* quodam abortivo (חתיכה) quod sanguinem coagulatum, menstruum habent; et propter tale frustum quocum simul sanguis effluxerit, polluta est femina ob *menses* (et non ob partum sive abortum). Illud itaque convenire videtur cum nostrarum molarum spuriarum specie *sanguineâ.* Alias molas שפיר (*membranulas*) vocant; forsan quidem, quia membranae cuidam includitur mola. Ut plurimum hoc verbo intelligunt foetum antea exstitisse, qui dein dissolutus fuerit. Vel alias formas describunt, in quas foetus dissoluti mutati sunt, et ob tales molas feminam ob partum nonnumquam pollutam declarant. Hae sunt nostrae molae verae. Nullo vero loco molam habent morbum uteri. Dissentiunt itaque a Moschione (*de mul. pass. Ed. cit. cap.* 135.) et ab Aëtio (*Tetrabibl. IV. Sermo IV. cap.* 80.) multisque etiam recentioribus, qui contrarium statuerunt, molas sc. *morbos* uteri sistere. Tamen exci-

5) Inter veteres, Plinius idem fere narrat, de quopiam a parentibus puella habito, et dein in marem commutato, cui barba et virilitas supervenerant, quique uxorem duxerat. (*Hist. Natural. Lib. VII. cap. 4.*).

pere debemus casum in *Nidda, fol.* 22 *b.* quo de femina sermo est, quae abortivit *corticulas rubras;* sed illum casum dubium declaraverunt Rabbini, et inter eos non constitit, num corticulae illae fuerint producta morbosa, vel sanguis menstruus: (vide illum casum accuratius in § de *Abortu*). Statuunt e contra, molas sistere vel sanguinem coagulatum plerumque menstruum, vel infantem qui unum alteramve formam assumsit. Denique *molas cujuscumque formae* semper abortum habebant, quod etiam apparet ex usu verbi המפלת (= *quae abortit*), quo verbo nempe ubicumque utuntur 6), si agatur de molis.

§ 19.

*Enumerantur molarum nonnullae species.*

Molarum varias species enumerant Rabbini, feminamque quae molam in lucem profert, impuram vel puram declarant, pro casûs natura, — num sc. simul effluat sanguis, nec ne. Attamen sanguinem illum habent menstrualem sanguinem, et mulier propter sanguinem illum non ob partum verum est polluta, sed propter menses; itaque si mola spuria nascitur, partus verus non est, sed abortus. Ut hodie, sic jam Rabbini, (vid. § praec.) molas spurias, tales quae constant sanguine coagulato, observaverunt (*Nidda, fol.* 28 *a. et b.*), et dicunt eas constare »quatuor coloribus sanguinis menstrui (*Ib.*)." Suadent tale frustum dissecare, ut pateat num forsan sanguis non coagulatus insit, siquidem tunc femina foret

6) Non solum molarum partui, verum etiam partui monstrorum illud verbum adjungunt, et non sine omni jure, quum monstra fere semper ante solitam graviditatis finem in lucem edantur.

polluta ob menses. Disputant porro *(Nidda, 21 b.)* de mola (frustum) quae *interne* rubet.

Molarum verarum exempla nonnulla quoque recensent Talmudici. Agunt v. g. de mola ossea *(Nidda, 21 b.)*, quae venit sub nomine *frusti albi*, quod findere suadent; nam si insit os, mater certe immunda est propter partum: — perhibent enim, infantem exstitisse qui perierit; et sane non immerito; cum satis notae sint mutationes, quas subeunt aliquando embryones degenerati. In *Nidda, fol.* 24 *b.* variae molae describuntur, et sequentia a doctoribus Mischnicis traduntur: »*Quae abortit molam* (molam veram, שפיר) *plenam aquae, plenam sanguinis, vermiculorum plenam* (sec. alios *colorum*) *non suspicatur de prole; et si acupicta fuerat, sedeat propter marem et puellam.*" In Gemara hujusce Mischnae dicunt nonnulli, sanguinem et aquam nihil esse, — hoc est sanguinem illum et aquam non sistere embryonem degeneratum; — attamen si vermiculi adfuerunt (mola carnosa, quae uti vermes est figurata Maimon.), tunc forsan cogitandum erit, infantem initio revera exstitisse, dein vero dissolutum fuisse.

Cum hac vero sententia non consentirem: nonnumquam enim ita dissolvitur foetus, ut nihil superesse diceres quam velamenta, quae vel humorem continent aquae adinstar (mola aquosa), vel sanguinem (mola sanguinea), vel materiem gaziformem (mola ventosa). Nonnumquam et particulae ipsius foetûs, vel ejus funiculi umbilicalis fragmenta supersunt, et interdum molae non nisi aquam continent flocculis refertam. Si tamen id vellent: *foetum verum non exstitisse*, nos quoque Rabbinis possumus concedere; quemadmodum plurimis in casibus molarum evolutio non ita procedat, ut foetus evolutus jam fuerit

tempore quo mola nascatur: nam ovum ex variis causis (nostra quoque aetate valde obscuris) jam ante embryonis evolutionem forte degeneratur 7).

Disputant porro *(fol.* 25 *a.)*, num ex contentis molae non acupictae, de infante esset cogitandum nec ne? Dicunt nonnulli, si contentum sit clarum, purum, (צלול) non esse suspicandum foetum exstitisse; sed si contentum fuerit turbidum (עכור), tunc embryonem exstitisse suspicari licet. Schemuël vero idem esse contendit, utrum contentum sit purum, clarum, nec ne; in omni tali casu semper foetum habens revera degeneratum. Ex his iterum videmus, quantum Schemuël prae aliis excelluerit, et quantus fuerit Naturae scrutator.

Nobis servaverunt quoque Talmudici modum, quo Schemuël molam exploravit *(Nidda,* 25 *a.)* »R. Dimi, »*quum venerit, dixit: numquam molam* (שפיר) *puram* »*declaraverunt Nehardeae, nisi illam molam quae venit* »*coram* Schemuële, *qui ei imposuit pilum in uno* »*latere et potuit videre* (pilum) *ab alio latere. Tunc* »*dixit: si id* (hujus molae contentum) *a foetu aliquo* »*oriretur, tunc non tam clarum foret.*"

§ 20.

*De Sandalo.*

Formationem quamdam Rabbini describunt, medium quasi tenentem inter monstrum et molam carnosam, quamque *Sandalum* (סנדל) vocant. Illa denominatio originem trahit a *Sandalo* quodam pisce marino, qui formam habet Sandalii vel soleae. *(Vid.* Buxtorff *in voce, p.* 1511. Baal Aruch eum habet *frustum carnis*

---

7) Molam acupictam descriptam vide *p.* 44.

*uti soleam).* Describunt talem *Sandalum* in *Nidda*, *(fol.* 25 *b.)* »*Docuerunt Rabbini: Sandalus formam* »*habet piscis marini, in initio infans erat, sed compres*-»*sus est.* R. Schimeon, *filius* R. Gamaliëlis, *dixit*: »*Sandalus similis est linguae magni bovis* (i. e. omnino »compressus sine ulla forma figurae in facie). *Ex* »*nomine nostrorum magistrorum testati sunt: necesse est,* »*ut Sandalus habeat formam faciei.*" Huic sententiae etiam assentit Schemuël, alii vero negant. Sandal, ajunt, numquam sine infante in lucem editur; nam vulgo in graviditate gemellorum oboritur, et tunc unus infans alterum ita comprimit, ut ille exinde fiat »planus" et omni formâ orbatus, et sic oritur *Sandalus (Nidda, ib. ib.)* Hoc autem ne fiat, feminae, quae concepit et gravida est, suadent a concubitu se abstinere, vel gossypium in vaginam immittere, ne semen virile uterum intret feminaque de novo fiat gravida. *(Nidda, fol.* 45 *a. Jevammoth, fol.* 12 *b., fol.* 100 *b., Ketuboth,* 39 *a., Nedarim,* 35 *b.)* 8). — *Sandalus* autem si jam efformatus est, eodem tempore ac verus infans in lucem editur, nonnumquam cum fine suo inferiore adhaerens umbilico alterius infantis veri *(Nidda,* 26 *a.).* Idem fere dicit Ambrosius Paré in libro *de hominis generatione*, quo de molis agit: »nonnumquam et foetui integro ligatae et adhaerentes molae!"

---

8) Sapientes vero ab illo consilio abhorrent, dicuntque (*Nidda, fol.* 45 *a. et alibi*) »coëat uti vulgo fit et ex coelo miserebunt »illarum! nam scriptum est: (*Psalm.* 116, 6.) »*Deus conservat* »*Stultos!*""

# CAPUT II.

## DE GRAVIDITATIS NEGOTIO.

### A.

### DE PUBERTATE ET STERILITATE.

§ I.

*De signis pubertatis*

Ex lege Mosaïca, nec non ex mente institutionum Talmudicarum, feminis diversa jura competunt pro aetate, quam attigerunt. Haec aetas autem ut magis stabiliretur, a Talmudicis ad pubertatem usque hoc modo divisa est: ad annum XIIIum puella vocatur *parva* et *infans* (קטנה תינוקת.); quando autem nata est annos XII, et exorti sunt pili circa pudenda, vocatur *juvenca* (נערה), hisque pilis nomen dederunt *signum inferius* (סימן התחתו): Hoc signum si jam exstabat, et puella nata erat annos XII et dimidium, tunc *pubescens* (בוגרת) habebatur. Ab hoc inde tempore, si signa omnia aderant, et praesertim si prolem ediderat, *adulta* (גדולה) simul vocabatur; — tunc quoque virgo habebatur nubilis; nempe quum nata fuerit annos XIII. Signo inferiori opponebant signum su-

periis, quod imprimis ex mammis increscentibus petierunt. Hanc mammarum evolutionem tempore pubertatis, accuratissime ita descripserunt Talmudici (*Tract. Nidda, fol.* 47 *a.)* et quidem primo loco in ipsa Mischna: »*Parabolice locuti sunt sapientes de muliere: ficus immatura* »*(grossulus), ficus maturescens et ficus matura. Grossulus, adhuc est infans; — ficus maturescens, hi sunt dies* »*juventutis ejus; — ficus matura, quando pubescit* . . ». . . . . . . . . . . . . . . . . . *Quaenam* »*sunt signa (*adultae virginis nubilis*)? R.* Jose Galilaeus *dicit: quando plica oritur infra mammam.* »R. Akiba *dicit: quando mammae inclinaverunt.* Ben »Azaï *dicit: quando corona papillae nigrescit.* R. »Jose *dicit: si quis imponit manum papillae, eaque* »*subsidet et tardat reverti.*" Haec doctorum Mischnicorum. In sequente Gemara porro adduntur: »*Dixit* Schemuël: *non quae vera oritur plica, sed quando manus* »*suas retrahit* (virgo), *et videtur quasi oriatur plica infra* »*mammam.* Schemuël *exploravit* (illud) *in ancilla* »*sua.*" Paullo post haec invenies: »*Docuerunt Rabbini:* »*Ea sunt signa virginis nubilis* (pubescentis): R. Eleazer, *filius* R. Zadok*is*, *dicit: quando mammae increscunt.* R. Jochanan, *filius* Berokae, *dicit: quando* »*pallescere incipit papilla. Quum incipiat pallescere* »*tunc jam est vetula? Sed* R. Asche *dixit: quando* »*fissurae in papilla veniunt.* R. Jose *dicit: quando* »*corona durescit.* R. Schimeon *dicit: Mons veneris* »(כף) *quando mollescit. Et sic dicebat* R. Schimeon, »Jochaï*i filius: tria signa dederunt sapientes in femina,* »*deorsum et invicem sursum* 1)*: nempe, si grossulus* (est)

1) Signa superiora non enumerat. Sunt varia signa a mammis deducta.

»*sursum, certe nondum produxit pilos duos*; (si) *ficus* »*maturescens* (est) *sursum, certe produxit duos pilos*; »*si ficus matura* (est) *sursum, certe quod mollescat* »*Kaph* (Mons veneris). *Quid est* Kaph? *Dixit* R. »Hunna: *est locus convexus supra illum locum* (geni»talia externa); *quique eo magis mollescit quo magis* »*increscit.*"

In universum magnam fidem Rabbini pilis habent ad locum pudendorum exoriundis, vel ad axillas in utroque sexu; et semper loquuntur de ortu duorum pilorum, ut signo pubertatis.

Auctor *libri VI Epidemiarum* (Hippocrates?) loquitur de pilorum eruptione tempore pubertatis, et quidem ita: ,,Aetatem quidem ab aetate distinguere ,,oportet. Dentium eruptiones, capillorum exortus seminis ,,ejectio, majus aut minus pilorum incrementum." (Hippocrat. *Opp.* F. *Sect. IV. p* 295). Galenus quoque mammas tempore pubertatis extuberantes pilosque erumpentes memorat 2). Attamen mammarum incrementum est signum adeo notum pubertatis, ut accuratae descriptioni Rabbinorum, naturae omnino congruae, ali-

---

2) »Quum puerilis aetas in adolescentiam transit, quemad»modum ipsis semen et pili in locis genitalibus erumpere incipiunt, »perinde et testes subito increscunt, quemadmodum puellis vir»ginibus mammae extuberant, una et menses ferri incipiunt. »Tunc igitur et vocis mutatio in maribus fit praecipue" cet. (Galenus *in* Hipp. *Epidem. IV. comm Sect. IV. K. XVII. B. p. 20.* Cf. Aristoteles *de gen. animal. L. II. c. 3.*) »Mammae autem amplitudinis uteri signa sunt, quae virgines »etiam ad matrimonium idoneas esse demonstrant, quas turgentes »vocare consuevit Hippocrates." (Galen. *comment. III. in* Hipp. *Libr. II Epidem.* K. *XVII. A. p.* 451).

quid adjicere non possimus. — Nec minus ratione ducebantur, quum pubertatis initium anno XII° vel XIII° statuerint: — plerumque enim illa valet regula, quo calidius clima, eo citius homines evolvuntur, eoque citius oboritur pubertas 3).

§ 2.

*Num parva fieri possit gravida.*

Ad pubertatis tempus sequens referendus est locus; quo inquiritur, num *parva* gravida possit fieri, nec ne? (*Jevammoth*, *fol.* 12 *b.*). »*Et uti dixit* **Rabba**, „*filius* **Liwaïi**, *est terminus ei* (parvae, quae aetatem „nondum attigit XII annorum). ***Ante illud tempus, haud-„quaquam gravida fit; intra tempus illud moritur illa, „et foetus ejus moritur; post illud tempus illa vivit, et „infans ejus vivit.***" Doctores Mischnici quoque parvam parere non posse statuunt (*Jevammoth*, *fol.* 33 *b.*). Casum etiam referunt pubertatis valde praecocis, cum

3) In *Hispania*, v. c. anno jam XII° matrimonium ineunt puellae, juvenes aetatis anno XIV°. In insula Java matrimonium ineunt puellae aetate IX annorum; et in China, imo aetate VIII annorum puberes jam sunt (J. P. Frank: *Geneeskundige staatsregeling etc* *I.* 225. Haller. *Element. Physiol. T. VII. L.* 28). — Galenus de pubertate ita loquitur: »Pueri post annum quar-»tum decimum pubescere incipiunt, qui vero prope hanc aetatem »accedunt, sunt: qui duodecimum aut tertium decimum aut quartum »decimum etiam annum agunt. Non enim unus omnium certissi-»mus pubertatis est terminus, propter temperamenti caliditatem et »frigiditatem. Calidi namque citius, frigidi vero tardius pubescunt.'' (Galen. *Comm. III. in* Hippocr. *Aphorism. K. XVII. B. p* 63). »Tempus autem pubertatis est a quarto decimo anno ad »usque vicesimum quintum." (Galenus: *Comm. V. in* Hippocr. *Aphorism. K. XVII. B. p.* 792).

corollariis nonnullis, sequenti modo: (*Nidda, fol.* 45 *a.*). „*Docuerunt Rabbini: Factum est de* Justina, *filia* „Severi, Antonini *filii, quae venit coram* Rabbi, „*et dixit ei:* Rabbi! *femina, quanam aetate nuptias* „*celebrare potest? Dixit* (Rabbi) *ei: quando est filia* „*duodecim annorum et unius diei. Dixit* (Justina) *ei:* „*ego nuptias inivi, quum sex* (annos nata) *eram, et pe-* „*peri ad septem! Vae mihi, de istis tribus annis, quos* „*in domo patris perdidi! — Sed quomodo gravida* „*potuisset fieri? Didicimus enim: (Jevamm. fol.* 12 *b.* „100 *b., Ketuboth,* 39 *a. Nedarim,* 35 *b.*)*:* „R. Bibi „„*dicit ex nomine* R. Jochananis: *tres foeminae gossypio* „„*utuntur, parva, gravida et lactans: parva, ne gravida* „„*fiat et moriatur; — gravida, ne foetus ejus fiat* „„*Sandalus; — lactans, ne ablactet filium et moriatur.* „„*Et quaenam est parva? Ab annos XI inde et die uno* „„*ad XII annos et unum diem, abhinc minore* (aetate) „„*vel majore* (aetate) *coëat modo semper: sic dicit* R. „„Meïr. *Et sapientes dicunt* 4)*: perinde est vel illa vel* „„*haec; coëat modo ut mos est, et ex coelo miserebunt* „„*illarum; sicut scriptum est:* „*Deus conservat stultos!*" " Alius Rabbinus adjungit huic narrationi Justinae, versum *Ezech. XXIII.* 20. „*et caro asinorum est eorum caro*" et alium versum ex *Psalmis* (*c.* 144. *vs.* 5.) „*quorum ora falsa loquuntur, et quorum dexter est dexter mendax.*" Certe hunc ultimum adjecit versum, quo indicaret se nullomodo huic narratiunculae fidem habere, seque credere, Justinam mendacem fuisse: et non sine jure! Plinius 5) quidem retulit etiam nonnulla, quae

4) Usum gossypii hi non probant, obscoenitatis causâ.

5) »Mandrorum nomen iis (populo cuidam in India viventi

cum hoc casu aliquomodo conveniunt, attamen inter fabulas recensenda, quales ex more et tempore multas narravit.

§ 3.

*De virginitate.*

In lege Mosaïca statutum est: quicunque concubuerit cum virgine, eum oportet talem puellam uxorem ducere. Rabbini hanc ob rem praecipiunt, filiam tres annos natam jam concubitu sacrari, minore tamen aetate, non ita: — ratio est, quia eam virginitate privavit; in puella vero minore aetate quam tres annos, est uti digitus, qui oculo intruditur" (*Nidda, fol.* 44 *b. et* 45 *a.*); „*nam*," — ita dicunt — „*uti oculos lacrymat et iterum lacrymas profert,* »(sic) *hymen sese regenerat.*" Quod attinet illam hymenis membranae regenerationem, recentiore tempore nonnulli auctores contenderunt, hymen regenerari post diuturnam abstinentiam 6): — quod cum veritate non convenit; si autem hymen pro parte modo fuisset destructum, tunc forsan iterum concrescere posset et cicatricem efficere. (Vid. Schmalz, *in* Siebenhaars *Encyklopädisch Handbuch der gerichtlichen Arzneikunde*, *Leipzig* 1833. *I. p.* 728.).

Ut constaret, num virginitas sit illaesa, nec ne, — Talmudici sequens suadent experimentum capiendum: (*Je-*

---

»annos quadragenos non excedenti) dederunt Clitarchus et Me»gasthenes, trecentosque eorum vicos annumerant. Feminae »septimo aetatis anno parere, senectum quadragesimo anno acce»dere" — et porro: »In Calingis, ejusdem Indiae gente, quin»quennes concipere feminas."

6) Morgagni: *Resp. med. legal. de virginitate in: opusc. miscell. Venet.* 1763. *I. p.* 3. Mursinna, *Von die Krankh. der Schwangern. I. p.* 49. Cappel, *Med Beobacht. I. obs* 53. Buffon, *Hist. natural. II. p.* 94.

*vammoth, fol.* 60 *b.*): „*Dixit* Rab Kahana, *pone* „*eas in dolio vinario; si jam viro fuerit aggressa, odore* „*ejus fragrat, si virgo sit, odore ejus non fragrat.*" Sic in *Ketuboth* (*fol.* 10 *b.*) casus narratur, quo illud experimentum revera captum est in quamdam mulierem, cujus maritus fuit conquestus, uxorem suam virginem non amplius fuisse quum eam duxerit: illa tunc non fragraverat et virgo erat declarata. Experimentum illud in multis cum eo convenit, quod Hippocrates (?) in *Aphorismis* suis (*Sect. V. No.* 59.) tradit: „Mulier si „in ventre non concipiat, velis autem scire an concep- „tura sit, vestibus circumtectam subter suffito, et si „quidem praecedere tibi videatur odor per corpus ad „nares et ad os scito: hanc non propter se ipsam infoe- „cundam esse." Galenus (*Comment. V. in* Hipp. *Apho rism.* K. *XVII. B. p.* 867 *sq.*) experimento illi adsentit: sed quis est, qui hodie illud experimentum non habeat absurdum?

## § 4.

*De sterilitatis signis.*

Uti multi populi orientales, sic et Hebraei omni tempore magni aestimabant multitudinem infantum. Cujus fidem faciunt ea quae statuit quidam Rabbinus (*Nedarim, fol.* 66 *b.*): „*Quatuor uti mortui aestimantur: pauper,* „*leprosus, coecus, et qui liberos non habet.*" Sterilitas profecto causa divortii saepe fuit, et femina sterilis ab omnibus vituperabatur. Signa sterilitatis muliebris nobis tradiderunt Talmudici loco sequente 7): (*Je-*

7) Eodem loco signa impotentiae virilis traduntur: »*Docue-* »*runt Rabbini: quis est Eunuchus solis* (h. e. qui jam ex utero matris eunuchus est; qui nunquam vidit solis lucem, nisi

*vammoth, fol.* 80 *b.*). »*Et quaenam est sterilis* (אילונית)? »*Quaecumque annos XX est nata, et nondum produxit* »*duos pilos, et licet produxerit postea, est sterilis omni* »*sensu. Et ea sunt signa ejus: quaecumque non habet* »*mammas et cui coïtus est dolorificus* (s. a. quae durante »coïtu voluptatem non percipit). R. Schimeon ben »Gamaliël *dicit: quaecunque non habet declivitates* »*abdominis uti feminae* (solent. Cujus mons veneris non »adeo prominet ac aliarum feminarum, Raschi.) R. »Schimeon ben Eliëzer *dicit: quaecumque vocem* »*habet amplam, neque agnoscitur utrum sit mulier an* »*vir!*" Catalogus haec signorum sterilitatis valde est incompleta; sed quae narrantur, omnino tamen veritate nituntur, uti comparatio cum scientia hodierna facile probat 8).

---

Eunuchus; cf. de significat. hujus vocis Buxtorff l. c. pag. 1554)? *Quicunque XX annos natus est, et non produxit* »*duos pilos, et etiamsi produxerit eos postea, est tamen* »*Eunuchus omni sensu. Et ea sunt ejus signa: quicunque non* »*habet barbam, cujus pili sunt graciles et caro est glabra.* R. »Schimeon ben Gamaliël *dicit ex nomine* R. Jehudae »*filii* Jaïris: *cujuscunque aquae* (urinae) *spumam non producunt*; »— *et nonnulli dicunt: quicunque mingit et non facit curvam*; — *et* »*nonnulli dicunt: cujuscunque semen nimis clarum* (tenue) *est*, »(s. a. *quod nimis cito ejaculatur*); — *et nonnulli dicunt: quisque* »*cujus urina non acescit. — Alii dicunt: quicunque se tempore* »*hyemali lavat et ejus caro vaporem ascendere non facit.* R. Schi- »meon ben Eleazar *dicit; cuicunque vox tenuis est, neque* »*agnoscitur utrum sit vir an foemina?*"

8) Tempore quidem seriori Aëtius (*Tetrabibl. IV. c. XXVI.*) de femina sterili ita loquitur: ... »foecunda enim mulier habere »debet proceritatem corporis moderatam, lumbos et superiorem »ventrem latos, nates eminentes, pectus angustum, mammas »amplas; tales enim mulieres foecundae, his autem oppositae

Ad causas impotentiae muliebris ab auctoribus quoque referuntur haemorrhagiae uteri post coïtum: hique auctores cum Talmudicis conveniunt, qui nempe ejusmodi casus tradunt in *Nidda*, *fol.* 65 *b. et* 66 *a.* Dicunt ibi: femina, quae post quemlibet coïtum sanguinem viderit ex genitalibus fluentem, dimittenda est; tali mulieri tamen licet de novo matrimonium inire, et quidem ter; sed si in tertio matrimonio idem accidat, iterum nubere illi non licet. Rationem, quâ feminae novum matrimonium ter concedant Rabbini, hisce verbis exponunt: »*potest etiam* »*in culpa viri esse; omnia enim membra virilia non* »*sunt aequalia* (שאין כל האצבעות שוות), *nec omnes vires* »*eaedem!*" Dein casus sequentes narrantur: »*Venit* »*aliquando coram* Rabbi *femina*, (quae post coïtum »sanguinem viderat): *dixit* Rabbi Abdano: *injice* »*ei terrorem; injecit ei terrorem, et diffluxit ab ea* »*frustum sanguinis; tunc dixit* Rabbi: *sanabilis* »*est.* — *Alia* (femina) *venit coram* Schemuële; *dixit* »*ille* R. Dimio, Josephi *filio: perterre eam* »*subito; fecit ille et nihil ab ea abiit; tunc dixit* »Schemuël: *illa impletur sanguine, et dis-* »*pergit sanguinem et quaecumque post coïtum impletur* »*sanguine et* (sanguinem) *dispergit, insanabilis est.*"

*Poculum sterilium.*

Denique hoc loco memoranda sunt remedia quaedam a Talmudicis contra sterilitatem laudata, quaeque in Talmude nomine veniunt *poculi sterilium.*" Legimus enim in tractatu *Sabbath* (*fol.* 110 *a.*) sequentia: »*Quid*

»steriliores sunt." (Ib. *C. LI.*). »Est autem talis mulier omnino »virilis, coloris fusci, corporis probe compacti, nervis robustis, »venosa, lumbos et nates ampliores habens, pectore ac humeris »latioribus, mammis solidis, voce gravi, fortior item ac hirsu- »tior: talis enim aut omnino non, aut modice purgatur."

»*est poculum sterilium?* *Dixit* R. Jochanan: *Abi et* »*sume pondus unius Zuz gummi Alexandrini, et sume* »*pondus unius Zuz Aluminis, et sume pondus unius* »*Zuz Croci hortensis, et tere haec tria inter se pro* »*femina fluenti; bibat tria haec, et non fiet sterilis.*' Adjungantur quoque haec remedia, quae ad classem medicamentorum menses pellentium pertinent, ad numerum magnum remediorum, quae nostra etiam aetate contra sterilitatem laudari solent. De illorum autem utilitate dubitare licebit; inprimis si causae sint tales, quales etiam a Rabbinis traduntur, nempe corporis muliebris constitutio peculiaris.

§ 5.

*Cosmetica nonnulla Rabbinica.*

Hoc loco tradere libet duo praecepta cosmetica Rabbinorum, magis vero curiositatis causa, quam momenti cuiusdam historico-medici. Hoc quoque respectu populi et aetates non differunt! Legimus in *Ketuboth*, (*fol.* 59 *b.*): »*qui vult filiam suam albidam reddere*, »*det ei edendas aviculas juniores, et bibendum lac*, »*prope terminum ejus.*" Alia occurrunt in tractatu *Sabbath* (*fol.* 80 *b.*): »*Dixit* R. Jehuda *ex nomine* »Rabi: *filiae Jisraëliticae, quae ad terminum pervene*-»*runt, sed nondum aetatem attigerunt* (produxerunt »enim ante tempus vulgare duos pilos. Quid de illis fit?), »*filias pauperum illiniverunt cum calce, filias divitum* »*illiniverunt cum farina optima, filias regum illiniunt* »*cum oleo Myrrhae! Quid est oleum Myrrhae?* Rab. »Hunna Bar Chija *dixit: Stacte* (Balsamum). R Je-»remiah, *filius* Abbii *dixit: oleum olivarum* »(bonum est), *quod nondum ad tertiam partem maturi*-

»*tatis venit* (oleum ex olivis immaturis). R. Jehuda »*dixit: Oleum omphacinum est oleum olivarum,* »*quod nondum tertiam partem maturitatis attigit. Et* »*quam ob rem illiniunt cum illo? Quia solvit pilos,* »*et carnem reddit mollem.* Rab Bibi *filiam habuit,* »*illinivit eam membratim et lucrum fecit ab ea* CCCC *Zuz.* »*Habitabat in vicinitate sua peregrinus quidam, cui filia* »*erat: ille eam una vice illinivit* (totum corpus) *et* »*mortua est. Dixit* (peregrinus): R. Bibi *necavit meam* »*filiam.* Rab Nachman *dixit*: R. Bibi, *qui* »*spirituosos* (potus) *bibit* (quibus pili augentur, Raschi) »*illius filia est illinienda* (ut solverentur pili cutisque »fieret glabra): *nos autem qui non bibimus spirituosos* »(potus), *nostrae filiae non sunt illiniendae.*" Nonne his verbis probari quodammodo videtur nexus, qui exstat inter abusum spirituosorum potulentorum et cosmeticorum latissimum usum et universalem applicationem?

---

## B.

### DE MENSTRUATIONE.

### § 6.

*De aetate qua menstruatio prodit.*

**Praeeunte Mose, Talmudici ingentem numerum subtilissimorum praeceptorum dederunt quod ad feminam »menstruam et fluentem." Sed uti facile intelligitur, longe maximus numerus harum institutionum ad Religionem pertinet, et pauca modo strictiore sensu ad nostrum argumentum referri possunt.**

Incipiente pubertate, oboriuntur menses, aetatis nempe anno XIII° et unius diei (*Nidda, fol.* 5 *a.*); cujus rei vero multae exstant exceptiones. Feminae, quarum tempore fixo menstrua fluunt, vocantur *consuetae* (וסתות); et ipsi menses *consuetudo* (וסת). Memorantur vero casus nonnulli infantum, qui mox post partum haemorrhagiam e genitalibus habuerunt: — sunt Talmudistae nonnulli, qui causam hujus phaenomeni in compressione quaerant, quam infantes subierant transientes per uterum (pelvim) angustum; alii autem talem causam posse exstare non credunt, dicuntque »*non* »*esse in utero contusiones membrorum* (*Chulin*, 51 *a.*);" sed haemorrhagiam e genitalibus, quae infantibus mox post partum accidit, sponte exoriri *(Ib. ib.)*. Tales casus narrantur in Tractatu *Nidda*, (*fol.* 32 *a.*): »*Dixit* R. »Jose: *factum est in Ein Bul, quod* (infans) *lavari* »*debebat ante matrem*;" infans enim ob illam haemorrhagiam pollutus erat, et lavandus ut iterum mundus fieret. Similem casum narrant Rabbini obvenisse *τῷ* Rabbi in Beth Schearim; et R. Joseph casum talem refert, qui contigit Pumbedithae 1).

---

1) Nostris temporibus certe non desiderantur observationes, quibus non quidem mox post partum, sed primo tamen jam anno menses prodierunt. Sic Doct. Wilde (*Gemeinsame deutsche Zeitschrift von* Busch, Mende *und* Ritgen. *Bd. VI. p.* 431) narrat de puella quadam 2⅓ annos nata, cui pili jam erupti fuerunt circa pudenda, et menses regulariter prodierunt; et asserit idem auctor, se in puella novem mensium haemorrhagiam spontaneam ex genitalibus observasse, quae tamen sponte iterum desiit. Et vir Doct. Schmalz (*in* Siebenhaar's *Encyklopadie der Gerichtlichen Arzneikunde. Bd. I. p.* 600) dicit: »Mädchen bei denen die Menstruation, im ersten oder in einem nächst»folgenden Lebensjahre erschien, sind nicht selten."

## § 7.

Omnes feminae menses non habent, suntque periodi in quibus mulieres eorum sunt immunes. Hae periodi ita a Talmudicis in Mischnah describuntur, (*Nidda*, *fol.* 7 *a. b.*): »R. Eliëzer *dicit: quatuor feminis suf-* »*ficit hora* 2), *virgini*, *gravidae*, *lactanti et vetulae.* »*Dixit* R. Jehoschuah: *ego non audivi nisi vir-* »*ginem*, *sed tamen decisio est secundum* R. Elie- »zar*em*. *Quaenam est virgo? Quaecumque nondum* »*vidit sanguinem* 1), *licet sit nupta;* 1) Menstrualem.

*De feminis, quorum menses non fluunt.*

---

2) דיה שעתה = *Sufficit ei hora.* Ut intelligantur ea quae sequuntur, pauca hoc loco debemus adnotare. Novimus, secundum legem Mosaïcam quamcunque mulierem menstruam per septem dies esse pollutam, omniaque quae attingat esse immunda. Dissensio exstat (*Nidda*, *fol.* 1 *a. seqq.*) inter scholas Schammaï*i* et Hillel*is*, de tempore, a quo femina primo iterum menses percipiens polluta sit, et res quas attigerit immunda sint. Posuerunt asseclae Hillel*is*, feminam, quae primo sanguinem videt, nonnullos dies debere retro-computare, ad suam pollutionem, ex quibus diebus omnia sunt polluta quae attigerit. Contendunt vero discipuli Schammaï*i* sufficere, si modo numeret ab isto inde tempore, quo primum iterum menses viderit; quod verbis דיין שעתן = *sufficit iis hora* exprimunt. Rabbini tamen ab utraque schola dissentiunt, statuuntque, omnes quascunque feminas retro computare debere horas XXIV a tempore inde, quo primo perceperunt menses. Eo loco R Eliezar excipit quatuor feminas de quibus in textu dixi, quia iis vulgo menses deficere solent. Talibus enim feminis satis est perceptio mensium, et numerent illae, modo ab illo tempore inde quo viderint menses iterum fluentes.

»*gravida* 2): *ex eo tempore, quo foetus* »*ejus se manifestat. Lactans* 3): *donec* »*ablactaverit filium suum. Si nutrici tra*»*diderit filium suum, ablactavit eum vel* »*hic mortuus est;* — R. Meïr *dicit: fit* »*polluta de tempore in tempus* 4), *et* »*sapientes dicunt: sufficit ei hora. Quae*»*nam est vetula? Cuicumque transie*»*runt senectuti suae proxime tria tem*»*pora* 5)."

2) Quando ei deficiant menses.

3) Quamdiu mensibus caret?

4) XXIV horas. Cf. annotationem.

5) Si tribus insequentibus vicibus menses non adfuerunt.

In hac Mischna inter feminas quae menstruatione carent, numerantur quoque gravidae, et menses quidem deficiunt »*ex eo tempore, quo foetus ejus se manifestat.*" Videbimus infra, — quando de conceptione et graviditate acturi sumus, — Rabbinos statuisse, mense quarto graviditatis foetum se manifestare. Volunt ergo Rabbini, in feminis gravidis non raro ad quartum graviditatis mensem continuare menstruationem: quum autem observarent mulieres, quibus supra illud tempus menses fluxerunt, praeceptum illud statuerunt: feminis gravidis, quum vulgo post quartum mensem graviditatis menstruatione careant, sufficere ab illo tempore dies impuritatis numerare quo viderint menses; sed si superveniant feminae tali menses ante mensem quartum, tunc debet retrocomputare XXIV horas. Licet haec non dicant verbis adeo dilucidis, tamen ad statuendum illud praeceptum ducti videntur Talmudici, quoniam ante mensem quartum, graviditas (ex illorum sententia) non sine omni dubio dignosci poterat, et menstruatione tunc procedente, femina poterat errare sicque non gravidam se credere sine jure. Sed si menses subito superveniunt feminae gravidae quarto mense, tunc rarior est casus et sufficit ei hora. Hippocra-

tes 3), auctor libri *de natura pueri* 4) et Galenus 5) eodem modo loquuntur. Hippocrates, cui Aëtius 6) et omnes recentiores assentiunt, statuit, post conceptionem feminae menses mox cessare, cessationemque mensium signum esse conceptionis. Neque vero iis minus quam Talmudicis nota fuit fallacitas illius signi. Hippocrates 7) et Galenus illud quidem observaverunt, tempus tamen non definiunt; auctor libri *de natura pueri* primo modo mense, dum Aristoteles inquit: (*Hist. Animal. Edit.* Schneideri *Liber. VII. c.* 3.). „Post„quam conceperint aliquae, ad certum usque tempus pur„gantur, conceptis foemellis cum diutissime diebus trice„nis, ad quadragenos autem in masculis." Scimus et nos feminis gravidis vulgo deficere menses, attamen aliquando feminas per totam graviditatem regulariter fluere. Imo aliquando obveniunt feminae, quae non alio tempore habent menstrua, quam in graviditate, et tum solum

---

3) »Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrores, »neque febre superveniente, cibi autem fastidia ipsi accidant, »hanc in utero gerere putato." Hipp. *Aphorism. Sect. V. No.* 61. *Editio* Pariset. *Bruxelles* 1833.

4) »Neque enim menses prodeunt mulieri, quae praegnans est, »si puer sanus futurus sit, praeterquam quibusdam perpusillum »primo mense." Hipp. *Opp. Ed. cit.*

5) »Quum autem mulier peperit, menstrua non valde prodeunt, »quibusdam tamen excepta pauca." (Galen. *Comment. III.* »*in* Hipp. *Epidem. Lib. II.* K. *XVII. A. p.* 456.).

6) »Et menses consueto tempore non apparuerunt" (*Tetrabibl. IV. Sermo IV. Cap. VIII: quomodo cognoscantur quae conceperunt*).

7) »Si mulieri in utero gerenti purgationes prodeant, foetum »sanum esse impossibile." (Hipp. *Aphorism. Sect. V. No.* 60. *Ed. cit.*).

regulariter illa fluunt. (B e y e r l e *in* S t e i n: *Annalen der Geburtshülfe. III. St.* p. 166. B u s c h *und* M o s e r: *l. c. IV. p.* 351.).

Feminis lactantibus menses non esse quamdiu ipsae infantem lactent, sine dubio ex eadem *Mischnah* patet. Neque hoc phaenomenon ignotum fuit omnibus veteribus; quippe A r i s t o t e l e s 8) id jam observavit: sed neque ille, neque (quantum scio) alter ex priscis de redeuntibus mensibus mentionem facit, quando femina ipsa non lactat, vel quando infans morte fuit abreptus. Dissentiunt inter se Rabbini, num talis foemina constituat exceptionem regulae vulgaris, nec ne? Statuit enim R. M e ï r: „fit polluta de tempus in tempus," ergo terminum assumit, qui ex mente sapientium competit feminis regulariter menstruis; et sapientes illam R. M e ï r *i* opinionem videntur assumsisse et statuisse non semper tali mulieri menses mox iterum supervenire; igitur ei *sufficere suam horam.* Rationem, quâ feminis lactantibus menses non fluunt, Rabbini secundum A r i s t o t e l i s sententiam aliquomodo explicant, quum dicant (*Nidda, fol.* 9 *a.*). »*Sanguis fit turbidus, p r o d u »c i t q u e lac.*" Menses vero et lac *ejusdem esse naturae,* — quae est sententia A r i s t o t e l i s, — non statuunt. Insuper monendum, in Talmude tempus lactationis extensum esse ad duos annos; infans autem qui ultra illud tempus sugit, est tanquam horrendum quid sugat (*Ketuboth,* 60 *a.*).

---

8) »Exeunte lacte haud fere eveniunt purgationes. Nam sane »quae lactant, factum est ut purgentur. Omnino natura ita fert »ne humor ille locis pluribus simul erumpat: velut iis, quae »fluxus sanguineos patiuntur, deteriores superveniunt purgationes. (A r i s t. *Hist. Animal. VII. c.* 10.).

Quae sequuntur, vetulas nonnumquam habere catamenia, naturae quoque respondent: sic Aëtius et Paulus Aegineta dicunt, rarissimis in casibus feminis ad annum sexagesimum usque menses fluere. Recentiore aetate tales casus plures innotuerunt; Kahleis (Meckel's *Deutsch Archif, f. d. Physiolog.* 1823. *Bd. VIII.*) narrat de femina quadam, cui menses desierunt aetate annorum XLIV, redierunt autem annum agenti LXXIVum, et quidem plane regulariter; etiam refertur in Hufeland's *Journal* (1829. *Bd. II.* 85.), casus feminae, quae ab anno aetatis XIIIo inde, menses habuit fluentes, et in aetate annorum LXI, adhuc regulariter continuantes: et tales multi alii casus leguntur.

§ 8.

*Menstruationis instantis symptomata.*

Symptomata instantium mensium a Talmudicis ita descripta sunt (*Nidda, fol.* 63 *a. in Mischna*): »*Et* »*ea sunt* (symptomata) *consuetarum* (quando menses »instant): (femina) *oscitat, sternutat, dolet ei umbilicus* »*et declivitates ventris suae* (genitalia: Raschi), *et* »*sanguis fluit, et species horripilationum eam corripit,* »*et sic porro; et cuicumque haec ter* (iterata vice »eodemque mensis die) *acciderunt, illa est consueta* »(habetur femina quae menses habet regulares).” Iis signis adduntur in Gemara hujus Mischnae: »*Caput ei* »*est grave, lassitudo* (gravitas) *membrorum, tremet et* »*oscitat.*” 9).

---

9) Aetius (*Tetrabiblion IV, Sermo IV, cap V*) inter notas instantis in virgine menstruationis recenset mammarum pruritum, lumborum, pectoris et capitis dolorem, bilis aut pituitae vomitum. Quantum tamen differunt haec verba ab iis, quae

*De sanguinis menstrualis indole.*

De sanguine ipso menstruali sequentia traduntur (*Nidda, fol.* 19 *a. in Mischna*): „*Quinque sanguinis* „(species) *immundae sunt in femina: ruber* (sanguis) „*niger, cornu croci* (alii: splendori croci similis) „*et aquarum terrae adinstar, et* (uti) *vinum* „*mixtum* (cum aqua). *Schola* Schammaï*i dicit:* „*etiam uti aquae Foeni graeci et uti aquae carnis assa-* „*tae*; *et schola* Hillel*is puros* (illos colores) *pronun-* „*ciat. Viridis* (si sit sanguis), Akābia, *filius* Mehal- „lel*is, impurum eum declarat, et sapientes purum* „*declarant. Quisnam* (sanguis) *est ruber?* (qui est) „*uti sanguis vulneris,* 10); (quisnam est) *niger?* (qui est) „*atramenti adinstar; profundius* (coloratus) *quam hoc* „*impurus est, levius coloratus purus. Splendor croci,* „*ut purissimum quod in eo est, et ut aqua terrestris ex* „*valle Betkerem, si eum fluere faciunt* (ut) *aquam; et* „*uti mixtum: duae partes aquae et una pars vini, vini* „*nempe Scheroni.*" In Gemara vero sequente niger sanguis, sanguinis species *peculiaris* non habetur; nam R. Chanina peritissimus inter Talmudicos dijudicandarum sanguinis specierum, eum nonnisi *sanguinem rubrum decoloratum* declarat. Ceterum controversiae inter scholas Schammaï*i* et Hillel*is*, in ipsâ Gemara latius

---

Talmudici dederunt, quibusque nos vix nonnulla haberemus addenda, quippe quae evidenter propriis observationibus sunt stabilita, naturaeque omnino congrua.

10) »Per idem tempus foemellis quoque mamillae intumescunt, »et quae appellant menstrua erumpunt. Ei sunt sanguis *quasi* »*recens caesi animalis.*" Aristoteles *Hist. animal.* VII. 1. Sic et Schemuèl in Gemara (*fol.* 19 *b.*) hujus Mischnae; dicit enim R. Jehuda ex nomine ejus: »*quomodo uti sanguis vul-* »*neris?*" »*Uti sanguis bovis mactati.*"

exponuntur, earumque conclusio haec est: „Omnes san-
„guinis colores, qui quinque colores supra recensitos
„plane aemulant, vel qui adhuc profundiores sunt, ii
„sunt impuri: sanguinem menstrualem verum sistunt; si
„e contra laetius sunt colorati, puri sunt." Inquirunt
porro Rabbini magnis verborum ambagibus in ipsos colores,
et in modum, quo isti dijudicentur; nil tamen de naturâ
ipsius sanguinis proferunt 11). Non soli autem Tal-
mudistae, sed etiam Medici praeclari aliarum gentium
sanguini menstruali varios tribuerunt colores; quorum
tamen plures nostra aetate potius habentur effectus
cujusdam affectionis membranae mucosae; ita ut id quod
veteres sanguinem vocaverunt, saepe nihil aliud sit quam
mucus morbosus vaginae. Ita v. c. agitur in operibus
Hippocraticis de mensibus decoloribus 12), biliosis,
nigris 13), de mensibus pituitosis et pelliculosis 14); —
et Galenus quoque menses decolores memorat 15).

---

11) Qui cupidus est cognoscendi modum pusillum, quo sanguinem investigaverint, ad dijudicandum num revera esset sanguis menstruus, adeat Maimon.: *Hilchoth Jssure Biah. C. V. Halachah.* 6-13.

12) »Mulieres menses decolores neque secundum eadem (tem-»pus et modum) semper prodeuntes, purgatione opus esse signi-»ficant." Hipp. *Aph S. V. No.* 36

13) »At si mulier sit corpore male affecto et menses biliosi »decurrant, et hoc facile dignoscitur. Admodum nigri sunt, »interdum vero splendidi, parcissimique feruntur et citissime con-»crescunt." Hipp. *opp omn. Ed. cit. Sect. V. de morb. mul. p.* 157.

14) »Pelliculosi enim ei (menses pituitosi) apparent, et velut »aranearum telae distenti, aliquantumque subalbicant." *Ibid. p.* 158.

15) »Neque enim propter pituitosum humorem solum, sed

Aëtius quidem loquitur de colore albo et obscuro fluxus muliebris; eum tamen fluxum corruptum habet, cum mensibus non convenientem, (*Tetrabiblion IV. Sermo IV. cap.* 65.).

§ 9.

*Quomodo sanguis menstruus dignoscatur.*

Si macula sanguinis reperiatur in linteaminibus alicujus mulieris, dubiumque sit num sanguis sit menstruus nec ne, tunc sequentem indagandi methodum laudant: (*Nidda, fol.* 61 *b. in Mischna*): „*Septem signa trans-* „*feruntur supra maculam: salíva jejuna et aqua faba-* „*rum contusarum* (מי גריסין aqua hordei?) *et urina et* „*nitrum* (Alexandrinum, *Gemara*) *et sapo et Camonia* „(קמוניא), *et Aschlag* (אשלג); *et oportet confricare eos* „(supra maculam) *ter; sed si transducantur septem* „*signa uti unum* (omnia inter se commixta) *nihil fecit,*" — non juvat, non detegent quod volunt. Distinguunt porro inter sanguinem quem femina vidit post primum coïtum, — *sanguis virginitatis* qui dicitur, — et sanguinem menstruum; et quidem ita: (*Nidda, fol.* 65 *b.*): „R. Meïr *dicit: adspectus sanguinum variant inter se:* „*quomodo? sanguis menstruus ruber est, sanguis virgi-* „*nitatis non est ruber; sanguis menstruus spumosus est,* „*sanguis virginitatis non est spumosus; sanguis men-* „*struus venit ex utero, sanguis virginitatis venit ex* „*lateribus* (vaginae). *Dixit* R. Jochanan: (haec) „*sunt verba* R. Mëïri; *sed sapientes dicunt: omnes* „*adspectus sanguinis sunt iidem* 16)."

*Differentia inter sanguinem menstruum et sanguinem virginitatis.*

---

»etiam propter melancholicum et biliosum decolores fiunt menses,'' Galen. *Comm. V. in* Hipp. *Aphorism.* K. *XVII. B. p.* 826.

16) Horum omnium iterum causa est religiosa, quia illaesa

*De amenorrhoea, cet.*

Narrant (*Ketuboth, fol.* 10 *b.*) de femina quadam, ad familiam pertinente cui nec menses nec sanguis virginitatis esse solebant. Nomen hujus familiae erat D o r k e t i. Dicunt menses uberiores foecunditatis esse signum, quam sententiam ita protulerunt (*Nidda, fol.* 64 *b.*): „*Feminae durante sua virginitate sunt uti* „*vites: est vitis cujus vinum est rubrum, et reperitur* „*vitis cujus vinum est nigrum; et est vitis cujus vinum* „*est multiplex, et vitis est cujus vinum est parum.* „R. J e h u d a *dixit, cuicumque viti est vinum, et cui* „*non est vinum,* (illa) *est Dorketi.*" In Gemara hujus Mischnae sequentia obveniunt: „*Didicimus,* — nomen „illius familiae fuisse — K e t i e h. *Docuit Rabbi* „C h i j a: *sicuti fermentum pulchrum est massae, sic* „*sanguines* (menses) *pulchri sunt feminae, cujus san-* „*guines multi sunt, erunt filii multi (Nidda, fol.* 8 *b.* „*Ketub.* 10 *b.*) 17)."

Rabbini quoque recte statuerunt, menses supprimi animi pathematibus deprimentibus, praecipue terrore (*Nidda, fol.* 9 *a.*). Casum porro memoriae tradiderunt Talmudici, quo probent calamitatibus atque

---

virginitas quam maxime iis cordi erat. Cf. v. g. *Deuteron. C.* XXII. *v.* 13 *sqq.*

17) Hisce contrarium quid posuit auctor libri: *de his quae uterum non gerunt* (H i p p. *Opp. F. Sect. V. p.* 244) dicens: »Et si quidem naturà copiosos menses mulier demittit, infoecunda »redditur." G a l e n u s vero (*Comment. V. in* H i p p. *Aphor.* K. *XVII. B. p.* 863.) atque A ë t i u s, *Tetrabibl. IV. Sermo IV. C. LI.*) cum Rabbinis conveniunt: — et recentiore tempore Cl. J. P. F r a n k statuit, in Brittannia feminas, quae copiosa et regularia habent menstrua, multam gignere prolem. (*Geneeskundige staatsregeling* etc. *Dl. I. p.* 306.)

inopia permagnam vim in totum organismum exerceri: occurrit nempe narratiuncula in Tractatu *Ketuboth (fol. 10 b.)*: *„Homo quidam venit ad* Rabbi, *dixit ei:* „Rabbi! *concubui et non inveni sanguinem; dixit illa* „(uxor hujus viri): Rabbi *virgo eram! Sed tempore* „*fuit calamitatis; vidit* Rabbi *faciem eorum nigram;* „*curavit eos, et introduxit eos in balneum, et dedit* „*iis edendum atque bibendum, et duxit eos in cubicu-* „*lum. Coïvit maritus, et invenit sanguinem!*"

C.

DE CONCEPTIONE ET GRAVIDITATE.

§ 10.

*De conceptione.*

Ut coïtus sit foecundus, varia requiruntur, quorumque etiam in Talmude hic et illic fit mentio. Sic quidem contendunt doctores in *Jevammoth*, *fol.* 55 *b.*, immissionem penis requiri ut foecundus sit coïtus; nihilominus tamen non negant, ejaculationem seminis locum habere et conceptionem exinde sequi posse, sine immissione *perfecta* penis, nempe „immissione solius glandis," (נשיקת העטרה *osculatio coronae*). — *Ib. ib.*) Ad seminis ejaculationem „erectio penis" requiritur (*Ib. ib.*); quae tamen erectio sine voluntate atque conscientia obtinere nequit 1). Coïtus foecundus non est, nisi simul adsit voluptatis

1) *Jevammoth, fol* 53 *b.* »*Et* Rabba *enim dixit: in stu-* »*prando non est vis, quia nulla erectio est absque voluntate, nisi* »*in somno*" Cf. *Nidda*, 43 *a.*

sympathia totius corporis; nam Schemuël dixit (*in Nidda*, 43 *a.*): „*Omnis concubitus seminis, quem „totum corpus ejus non sentit, non polluit. Quaenam „est ratio? „Concubitum seminis" lex vocat talem, „qualis foecundare potest,*" et cum alius coïtus foecundare nequit, ergo tali non polluitur. Eodem loco Schemuël dicit: *quicumque concubitus seminis non eja„culat uti sagitta*, (is coïtus) *non est foecundus:* Nec femina gravida fit, si cum stante viro coïverit. (*Sanhedrin, fol.* 37 *b.*). 2).

Non magis comprobavit experientia sententiam Rabbinorum qui perhibeant (*in Jevammoth, fol.* 34 *a.* et passim aliis locis multis) „*nullam feminam gravidam „fieri aggressu primo.*" Vulgo quidem primus coïtus cum virgine intacta, et praecipue si stuprum locum habuit, non est foecundus; posse tamen contrarium quoque observari, veritati non est absonum 3). Varias in partes

---

2) Horum plurima, nempe necessitatem sensationis voluptatis, — fortis ejaculationis, — et alius positurae quam stantis, — hodierna melior experientia ut erronea refutavit. Vid. Schmalz, in Siebenhaar. l. c. Th. I, p. 124. Inter veteres, Galenus etiam statuit, erectionem necessariam esse ut semen ejaculetur. Ita enim dixit: »Non enim »solius coïtus causa pudendum exacte tensum esse est utile, »sed quo meatu diducto ac directo semen quam longissime eja»culetur. Qui meatus nisi rectâ ferretur, sed aut obliquus esset, »aut alicubi in sese consideret, ibi tunc semen haereret." Galen. *de usu part. corp. human. Lib. XV.* K. *IV* *p.* 221. Nunc etiam novimus, hijpospadiaeos, eosque qui infra et post glandem habent aperturam penis, attamen posse interdum gravidare.

3) Cum Rabbinis conveniunt Meijer (Haller: *Vorles. über die gerichtlichen Arzneiwiss. Ie Band. S.* 305.) aliique. — Cll. Henke (*Lehrbuch* etc. 137) Sebastian (*Element. physiol. spec. Ed.*

simul sententiae Rabbinorum abierunt, quum disputarent de quaestione, quonam tempore femina facillime concipiat? (*Cf. Sotah, fol.* 27 *a. Nidda, fol.* 31 *b.*). Dicunt nonnulli, „*nullam feminam gravidam fieri nisi instan-* „*tibus mensibus*;" alii e contrario statuunt: „*nullam* „*feminam gravidam fieri, nisi lavationi suae proxima* „*sit*." i. e. cessantibus mensibus 4). Tradunt, concep-

---

*all. p.* 302) et praecipue Heim, contendunt, cum multis aliis, unicum coïtum saepe sufficere ut fiat conceptio.

4) Auctor libri *de genitura* posteriori sententiae adsentit. »Quare, inquit, »si illo sanguine (menstruo) vacuata mulier fuerit conci- »pit, si vero is redundarit minime. ... Hae nempe post men- »struam purgationem ob jam dictas, utero concipiunt." (Hipp. *opp.* F. *Sect. III. p.* 12.). Galenus vero dubius haeret. »Ita- »que conceptio fit potissimum sedatis nuper menstruis, ut maxime »uteri geniturам concipiant." (Gal *Comm. III. in* Hipp *Epi- dem. Lib. II.* K. *XVII. A. p.* 443). E contrario dicit in libro *de uteri dissectione* (K. *II. pag.* 903 ). »Vasorum uteri .... oscula, »quum foemina conceptura est aperiuntur, hoc autem conceptio- »nis tempus est: vel incipientibus vel cessantibus menstruis." — Aristoteles opinatur »plerasque post mensium fluxum con- »cipere, nonnullas vero fluentibus adhuc menstruis" (*Hist. animal. Lib. VII. C. II*). Moschion (*cap.* 24.) quoque credit, tempus concipiendi esse idoneum, absolutâ menstruationis periodo. Recentiores fere omnes credunt, feminam omnium facillime concipere mox *post menstruationem*. Neque id mirum videri potest cogitantibus, recentissimas indagationes viri Cl. Bischoff, doct. Négrier, aliorumque docuisse, ovula in folliculis Graafianis quamdam maturitatem periodicam subire, ad quam acquirendam vis seminis virilis minime requiritur: illa ovula matura in muliere humana durante menstruatione et in brutis durante aestu venereo, ab ovariis solvuntur atque expelluntur: — si hoc tempore coïtum exerceant animalia, vi, quam semen virile in hoc ovum solutum et expulsum exercet, foecundantur, et tunc conci-

tionem posse fieri statim post coïtum, imo secundo adhuc tertiove die post eum; tunc si non conceperit femina, semen corrumpitur atque ejicitur. — *Sabbath* 86 *a.* — 5).

§ 11.

*Num prohibitu mas vel puella possit procreari.*

Conveniunt Talmudici cum omnibus Medicis veteribus, nonnullisque recentioribus, in potestate hominis esse ut ad libitum mares vel foeminas procreent; — in modis tamen quibus fiat, est differentia. Sic Rabbini rogant in Tractatu *Nidda* (*fol.* 31 *a. b.*): „*Et estne in potestate* „*hominis quod multos habeat filios? Sed quia morantur* „*supra abdomen,* (quia retardant seminis ejaculationem, ut „uxor prius ejaculet) *erunt infantes mares.* Dicit Rabba „(*Eirchin*, *fol.* 8 *a.*): „*qui vult facere omnes suos libe-* „*ros masculos, coëat et repetat coïtum*; — et alibi: (*Nidda*, *fol.* 28 *a.* 31 *a.* *Berachoth*, *fol.* 60 *a.*): *Dixit* R. „Jitschak: *si mulier prius ejaculaverit semen, tunc* „*pariet marem; vir si prius ejaculaverit semen, pariet* „*puellam!*" Auctor libri de *superfoetatione* suadet: testiculum dextrum obligare si feminam, sinistrum si

piunt feminae. Quibus factis nitens Cl. Bischoff credit, conceptionem nonnisi durantibus mensibus vel statim post eos locum habere posse. — Vid. Bischoff. *l. c. p.* 35. *sq.* et *p.* 558. et praesertim ejusdem auctoris: *Beweis der von der Begattung unabhängigen periodischen Reife und Lösung der Eier der Säugethiere und des Menschen, als der erste Bedingung ihrer Fortpflanzung. Giessen* 1844.

5) De coïtus abusu verissime ita loquuntur: »*Membrum exi-* »*guum est in homine, si saturet illud, esuriat* (homo), *si fame* »*patiatur, saturatur* (homo)," *Sanhedrin*, 107 *a.*

quis marem procreare velit, et penem penitissime intrudere, ad marem procreandum. (Hipp. *opp.* F. *III. p.* 46.). Galenus vero in foetus temperamento calidiore vel frigidiore, causam evolutionis maris vel femellae quaerit. (*De semine, Lib. B.* K. *IV. p.* 641.). Alii veteres multique recentiores, imo nostro aetate viri ceteroquin praeclari, varias atque miras hypotheses hac de re construxerunt; de quibus vero agere mei non est.

§ 12

*De tempore, quo graviditas absolvatur.*

Quod ad graviditatem ipsam attinet, statuunt Talmudici (*Bechoroth, fol.* 8 *a. Chulin,* 127 *a.*): „*Quae-„cumque coitu et tempore graviditatis aequalia sunt,* „(haec) *pariunt et educant inter se;*" cui sententiae adiungunt enumerationem diversi temporis graviditatis in variis animalibus, quodque tempus graviditatis animalium comparant cum tempore, quo nonnullae arbores et frutices fructus gerunt. Quodad humanum genus (*Nidda, fol.* 38 *a.*): „*nulla femina gravida fit, et parit, nisi diebus CCLXXI* „*vel diebus CCLXXII vel diebus CCLXXIII.*" Isti dies itaque conveniunt cum novem mensibus triginta dierum; sed omnes in ea non consentiunt: legimus enim: „*Dixit* „Mar, *etiam secundum eos, qui dicunt: quae parit ad* „*menses novem, non parit ad imperfectum; quae parit* „*ad septem menses, parit ad imperfectum.*" (*Nidda, fol.* 27 *a.*, 38 *b. Rosch haschana, fol.* 11 *a., Jevammoth, fol.* 42 *a.*). Horum verborum sensus est: quae parit ad novem menses, parit ad dies CCLXX, ergo revera praeterlapsis novem mensibus: alii vero contendunt, feminam quae ad novem menses parit, non plane hos menses implere. Sic quoque partus septimestris, ex opinione

nonnullorum, omnino implet septem menses, secundum alios autem non: — Schemuël tamen voluit, omnes mulieres tantummodo initio decimi mensis parere. Modum quo Schemuël numeravit menses, locus sequens in *Nidda. fol.* 25 *b.* illustrabit: »*Et fuit abortus, qui* »*venit coram* Schemuël*e*; *dixit: is est filius dierum* »*XLI°; et computavit a die inde quo lavavit usque ad* »*hunc diem, et non fuit nisi dies XL. Et dixit: illa* »*femina durante ejus menstruatione viro est aggressa!* »*ligaverunt eam, et confessa est.*" Quoniam feminae Jisraëliticae ex lege Mosaïca, vulgo se lavabant VIII dies postquam fluere inceperant menses et Schemuel ab hoc die numerabat, primo intuitu diceremus, Schemuel*is* computationem falsam esse, si cum hodierna graviditatis computatione comparetur: — sed nostris diebus numerare solent a die, quo ultima vice menses inceperunt; ergo, si diebus quos statuit Schemuël, addimus octo, tunc cum nostro numero convenit. Dies tamen certus definiri nequit, cum partus ad diem unum praedicere non possimus.

*Quonam tempore graviditas optime possit dignosci.*

Quae decimo mense pariunt, earum graviditas, uti Talmudici perhibent, jam optime dignosci potest mense quarto. Etenim dicunt (*Jevammoth, fol.* 37 *a*): »*in* »*maxima parte illarum, quae mensibus novem pariunt,* »*foetus se palam fit* (praesentiam illius agnoscit) *in* »*tertia parte dierum suorum,*" et sic in casibus in quibus de graviditate oborta fuerant dubia, exspectaverunt per menses tres, »donec foetus se ostendat." (*Sotah, fol.* 20 *b. Jevamm.,* 33 *b.*). Modum, quo foetus praesentiam suam palam facit, ulterius non describunt; opinarer autem, Talmudicos dicere voluisse, mense quarto foetum jam plene esse formatum, et ita increvisse ut

jam primo intuitu] femina gravida posset dignosci. Veritati et nostrae aetatis observationibus haec omnino respondent 6).

§ 13.

*Infantis loci mutationes in utero describuntur.*

Circa loci mutationes quas facit infans in utero, sequentia afferam, quae reperiuntur in *Nidda, fol.* 31 *a.*: »*Docuerunt Rabbini: per tres menses priores infans* »*habitat in habitaculo inferiore; per medios* (menses) »*infans habitat in habitaculo medio; posteriores, infans* »*habitat in habitaculo superiore.*" Illud phaenomenon tam singulare iis videbatur, ut peculiare testimonium Omnipotentiae divinae id haberent: adjungunt enim (*Ib. ib.*): »*Veni et vide, mores Dei non esse mores carnis et san-* »*guinis* (hominis); *mos* (enim) *est carnis et sanguinis,* »*illud quod est in deliciis suis in lagenâ clausâ ponere,* »*et orificium ejus* (lagenae) *superius est; forsan servatur* (illud quod multi aestimat homo) *forsan non servatur;* »*sed Deus creat foetum in intestinis feminae, quae* »*sunt aperta, et os eorum* (os uteri) *est inferius, et nihi-* »*lominus servatur* (foetus)." Alia sententia: »*Homo res* »*pretiosas suas in bilance ponit; quamdiu gravior* »*evadit, bilanx descendit. Deus e contrario* (aliter »facit) *quamdiu ponderosior fit infans, ad superiora* »*adscendit* (infans)."

---

6) »In vierten Monat ist der untere Theil des Unterleibs deut- »lich gewölbt, so dass es schon auf den ersten Blick auffält.'' Busch *und* Moser: *l. c. Th. IV. p.* 332.

## § 14.

*De aetate qua femina concipere possit.*

Aetatem vim habere in conceptionem et graviditatem, Rabbini his verbis exprimunt: »*Dixit* R. Chisda: »*Iniit* (puella) *conjugium minore* (aetate) *quam filia* XX »*annorum, parit ad annos* LX; *filia* XX *annorum* (si »fuerit puella, quum conjugum iniit) *parit ad annos* XL; »*filia* XL *annorum, tunc prorsus non amplius parit*" (*Baba Bathra*, *fol.* 119 *b.*). Plinius vero cum his non consentit, dicens: mulier post *quinquagesîmum* annum non gignit (*Hist. Nat. Lib VII. C. XIV.*). Aetas qua feminae concipere possint, multopere variat; vulgo concipiunt ab anno aetatis XIV — L; casus vero non desiderantur, quibus puellae juniores et feminae aetate provectiores conceperant et pepererant.

## § 15.

*Abstinentia a coïtu durante graviditate laudatur.*

Ut evolutio foetûs rite obtineat, in prioribus mensibus graviditatis feminae quam maxime commendatur abstinentia a coïtu; uti patet ex his verbis (*Nidda*, *fol.* 31 *a.*): »*Docuerunt Rabbini: per tres menses priores* »*coïtus nocet feminae et nocet foetui; per medios* »(menses) *nocet feminae et prodest infanti;* (per) *ulte-* »*riores* (menses) *prodest feminae et prodest infanti;* »*nam tali modo infans invenitur purificatus et fortis.* »*Didicimus qui cum uxore concubuit die* XC°, *est uti* »*effundit sanguinem;*" nam tunc incipit infantis vita (Raschi) 7).

---

7) Ita etiam auctor libri *de superfoetatione* dicit: »Mulier prae- »gnans, si venerem non exerceat, partu facilius liberabitur;"

Feminis vero coïtum quidem exercentibus suadent nonnulli Talmudistae (uti jam monuimus p. 80) applicationem gossypii, ne semen uterum intret foetusque fiat *Sandalus.*

§ 16.

*De Appetitu alieno gravidarum.*

Appetitus alieni, gravidis non rari quique apud veteres venit nomine *Kissae* (Moschion), Rabbini quoque mentionem faciunt. Si non obtemperet mulier huic appetitui, in periculo eam versari dicunt. Tractatus *Joma,* 82 *a. b.* haec habet: »*Gravida quae odo-* »*rabatur* (et appetivit cibos vel carnem vetitam), *edat,* »*donec revertatur anima sua.*" Huic sententiae Mischnicorum addunt Gemaristae: *nam est tibi nulla res* »*cui resistere possis, quando quaestio est de servanda* »*vita.*"

---

(Hipp. *Opp.* F. *Sect.III.p.* 43): — et in libro *de morbis mulierum L. I.* auctor percipit: »Ubi autem praedictis diebus viri com- »plexum experta fuerit, si commode apparati uteri fuerint et de- »cem aut duodecim diebus genituram continuerint tum ne virum »adeat " (*Ib. ib. Sect. V. p.* 161.). Idem fere suadet Cl. Busch: »Der Beischlaf ist zwar nur in einzelne Fällen ganz zu verbieten, »doch darf er nur mit grösser Mässigung und selten statt finden, »da er in Uebermasse in früheren Monaten leicht Abortus bewirkt, »und in den letzten Monaten wahrscheinlich nicht ohne Antheil »an der regelwidrig zu festen Adhäsion der Placenta ist." (*Lehrbuch der Geburtshülfe* 1842. *S* 77). Doct. Hoebeke inter causas quae saepissime abortum efficiant, etiam recenset abusum coïtus durante graviditate, et suadet mulieri, quae semel abortum jam passa fuit, a coitu plane abstinere. (*Verhandeling over de Miskraam. Uit het Fransch door* Meijer *en* Terlaak *'s Gravenhage* 1843).

## D.

## DE ABORTU.

### § 17.

Talmudici talem foetum habent abortivum (נפל), qui a matre editur ante septem menses. Cujus fidem faciunt ea, quae legimus in *Berachoth*, *fol.* 60 *a.* »*Diebus* »*tribus prioribus homo misericordiam imploret, ne foe*-»*tidum fiat semen; a tribus* (diebus inde) *usque ad qua*-»*draginta invocet misericordiam, ut sit mas; a qua*-»*dragesimo die inde usque ad tres menses, miseri*-»*cordiam invocet, ne fiat Sandalus; a tribus mensi*-»*bus inde usque ad sex menses misericordiam im*-»*ploret, ne fiat abortus: — a sex mensibus usque ad* »*novem imploret misericordiam ut exeat in pace!*" Sed non solum partum praematurum voce *Abortûs* denominaverunt, verum etiam talem, quo femina edat foetum qui non est vitalis vel qui monstrositatem quamdam sistit. Omnibus enim casibus supra memoratis monstrorum et molarum, praefigitur verbum המפלת, i. e. *quae delabi facit, quae abortit,* — uti omni infanti usque ad XXX dies post partum nomen נפל, i e. *abortivum* dederunt.

*Quisnam infans abortivus vocatur.*

Dissensio exstat (in *Nidda, fol.* 21 *a.*), num omni abortui haemorrhagia necessaria sit. Putant enim nonnulli uterum posse aperire sine sanguinis jactura; alii vero negant. Concedunt Gemaristae, fieri posse ut uterus abortiens aperiatur sine sanguinis missione; et conclusio manet secundum eos, qui perhibent non semper adesse haemorrhagiam. Errassent vero, si istam regulam *universalem* fecissent; novimus enim inter symptomata abortûs, quae maxima parte dubia sunt, ut

*De haemorrhagia et de doloribus durante abortu.*

signum valde constans, haemorrhagiam; ab altera autem parte casus quoque non desunt, in quibus fere nulla adfuit haemorrhagia. Metrorrhagiam, quae abortui praecedit, non aequiparant Rabbini haemorrhagiae, quae partum verum antecedere solet, sed potius eam habent fluxum morbosum. Dolores ex abortu tunc demum vehementes evadunt quando foetus jam ita mole accrevit, »*ut* »*caput rotundaverit verticilli ad instar*," veluti glomeris coli 1). Volunt ergo haec: si foetus abortivus minus

---

1) Hanc opinionem contentam credo sequentibus duabus sententiis. Quae de metrorrhagia dixi, hausi ex sententia in *Nidda*, *fol.* 38 *a.* אין קושי לנפלים: quae verba proprie quidem significant, *abortibus non est haemorrhagia*, *simul cum doloribus*, sed ratione habita ipsius contextûs, ejusque nexus mutui, verba haec videntur habere sensum, quem Jarchi quoque profert: »Metrorrhagia quidem adest, sed abortus eam mundam non reddit, »quod in partu vero quidem obtinet; sed potius est fluxus, et mulier »ob eam haemorrhagiam, h. e. propter fluxum, est immunda et parit »fluens." — Quae secundo loco de doloribus durante abortu scripsi, petii ex dictis in *Oholoth*, *Cap. VII. M.* 4. *et Bechoroth*, 22 *a.* אין לנפלים פתיחת הקבר עד שיעגילו ראש כפיקה: »*abortibus non est* »*apertura sepulcri*, *nisi rotundaverint caput verticilli adinstar.*" Sed locum illum in *Oholoth* tropicum habeo. Enimvero si perspiciantur verba quae antecedunt: »*Si apertura adsit uteri non* »*ei est otium incedendi;*" nempe propter dolores vehementes et haemorrhagiam; tum elucet, sensum nostro in loco *non* esse, »in omni abortu uterum *non esse* apertum," sed alio modo sententiam esse explicandum. Non dubito igitur quin Maimonidi concedere debeamus, sensum hujus sententiae ita esse: »in abortu non talis adest apertura uteri, qua femina impediretur, quominus obambularet, nisi caput jam rotundaverint, ut verticillum. "In *Bechoroth*, *fol.* 22 a., magnitudo hujus פיקה ulterius definitur, et dicunt modo eam glomus staminis, ergo glomus parvum, sistere.

evolutus sit, dolores sunt mitiores. Et revera ita est; dolores enim eo magis aemulantur doloribus partûs veri, quo magis jam processerit ipsa graviditas.

Statuunt etiam Talmudici (*Nidda, fol.* 9 *a.*): »(Femina quae) *fuit in praesumtione graviditatis, et vidit »sanguinem, et postea abortit flatum vel aliquam rem, »quae durabilis non est, illa manet in sua prae-»sumtione et sufficit ei hora.*" Quibus verbis haec volunt: femina quae gravida est, inopino vidit sanguinem e vagina profluentem, et dein ex utero emisit fluidum gazosum (Physometra ?) vel aliquam rem non durabilem, haec gravida manet. Id autem omni casu defendi posse, maxime dubitarem. Certum quidem non est semper insequi abortum, si metrorrhagia supervenerit feminae gravidae, — id enim experientia quotidie docet: — neque immo vehementes Metrorrhagiae, quae occurrunt in casibus placentae praeviae, licet prognosin valde infaustam reddant, semper abortum efficiunt. Nihilominus tamen nimis generaliter dictum mihi videtur Talmudicorum effatum, »post exitum »materiae gaziformis ex utero vel alius rei non durabilis, »unâ cum Metrorrhagia feminam posse manere gravidam."

## § 18.

*De frequentia et causis abortûs.*

Quodad frequentiam abortuum statuebat R. Jehoschuah: »*Plurimae gravidae pariunt, minima pars »earum abortum patitur, et in maxima parte abortuum »foetus sunt feminini sexûs.*" *Bechoroth*, 20 *b.* Haec ultima sententia nostris quoque diebus est repetita.

Inter causas abortûs recensentur in Talmude *mors*

*matris* 2) *odor carnis* 3) et *abortus* quem in anteriore graviditate femina jam passa fuerat; nam tunc verendum, ne nova graviditate iterum aboriatur. (*Sabbath, fol.* 66 *b. cf.* Raschi, *ad h. l.*). Vento australi magnam tribuerunt efficaciam, quamobrem, quum R. Nachman *filius* Jaäkobi *dixerit: »ventus australis flat,—dixit* Rabba, *»sic* Rab *dixit: femina abortum patitur eo. Et* Sche- »muël *dixit: etiam margaritae in mare putrescunt eo.* »R. Jochanan *dixit, etiam concubitus seminis in in- »testinis feminae* (semen in utero) *corrumpitur eo.*" (*Gittin, fol.* 31 *b*) 4). Ad illustrandas causas abortus quoque sequens factum pertinet, quod in Tractatu *Sabbath, fol.* 63 *b.* refertur: *»Istam feminam* (gravidam), *adeuntem »quamdam domum ad coquendum panem, allatravit »canis, et infans suus se evulsit. Dixit ei herus domi: ne »perterreas! nam evulsi sunt dentes ejus et sublata sunt ei »ungues! Dixit femina: arripe bona tua et dejice ea in »spinas!* (Proverbium Talmudicum, pro gratibus nimis sero »habendis) *nam jam movit se infans.*" Ex hacce enarratione videmus, causam abortus hujus feminae fuisse terrorem, quam ei injecit canis dum abortum percepit ex motu infantis: — terror enim saepissime sistit causam abortûs praecipue in feminis, quae nervosa gaudent constitutione. Quodad motus infantis, ex quibus femina praedixit abor-

---

2) *»Omnes consentiunt, ejus* (matris) *mortem facere abortum.*" Chulin fol. 73 b.

3) *Non aborta est femina odore carnis sacrae.* (*Joma, fol.* 21 *a; Aboth V.* 5.).

4) Fere similia Hippocrates statuit: »Si vero hyems »australis et pluviosa et placida fuerit, ver autem siccum et aqui- »onium, mulieres quidem, quibus partus in ver incidit, ex »quavis occasione abortiunt." (*Aphorism. Sect. III. No.* 12.).

tum instantem, optime judicavit illa; — nam symptomata, quae abortum antecedunt et indicant, saepe motus vehementes foetûs sunt, qui motus, ex opinione recentiorum, sunt convulsiones in agone mortis. (Hoebeke: *Verhandeling over de miskraam*, *p.* 77.).

§ 19.

*De seminis effluxu.*

Inter ea, quae apud veteres veniunt nomine *Abortus*, pertinet quoque ejectio seminis ex utero, paucis diebus post coïtum, imprimis diebus *septem* prioribus. Auctor libri *de partu septimestri*, et Aristoteles (*Hist. Animal. L. VII. cap.* 3.) ἐκρύσεις, vel *effluxiones* vocant tales seminis ejectiones. Neque Rabbini hanc doctrinam ignoraverunt, talem feminam, dicentes *mulierem*, quae »*concubitum seminis evomit* (אשה שפלטה שכבת זרע)" Haec seminis ejectio ex Rabbinorum doctrina inprimis locum haberet tres dies post coitum. (*Sabbath*, *fol.* 86 *a. Mikvaoth. Cap. VIII. M.* 3.). Curae graves et esus vermium et reptilium semen corrumpunt foetidumque reddunt, ita ut a femina, quae conceperat, iterum defluat. (*Nidda*, 34 *b.*).

*Quaenam abortu ejiciantur, et quo modo dignoscatur materia abortiva.*

Describunt varias res quae abortu eduntur, quarumque plures jam enumeravi; occurrunt vero alia. Sic v. c. loquuntur in *Nidda*, *fol.* 21 *a. in Mischna*: »*Quae aboritur, frustum .... quae aboritur uti species* »*corticulae*, *uti species crinium*, *uti species humi*, *uti* »*species muscarum rubrarum*, — (hae materiae) *ponantur* »*in aqua; si solvantur*, *impura est; si non*, *pura est* 5)." Omnia haec varias sistunt formas, quas sanguis coagulatus refert. —

---

5) De frustis illis vid. pag. 76 seqq.

Modum, quo indagabant Rabbini, num sanguis esset coagulatus menstruus, vel aliud quid, sequentia quoque illustrent quae obveniunt *in Nidda, fol.* 22 *b.* »R. Eleazar *filius,* R. Zadokis, *dixit: Duos casus pater meus »secum tulit a Tabaïn ad Jabnen: Factum est, »ut quaedam femina aborta fuerit quasi species corticu»larum rubrarum, et venerunt et rogaverunt a patre, et »pater rogavit a sapientibus, et sapientes rogaverunt a »medicis, et dixerunt iis* (Medici sapientibus): *illa »femina habet vulnus in intestinis* (in utero) *ex quo »aboritur corticularum adinstar; ponantur in aqua; si »solvantur, immunda est. Et iterum factum fuit, ut »femina aliqua aborta fuerit quasi crines rubros, et »venit et rogabat a patre, et pater rogabat a sapientibus, »et sapientes a medicis. Et dixerunt iis: abscessum »*(שומא) *habet in intestinis suis, ex quo aboritur quasi »crines rubros; ponantur in aqua; si solvantur, immunda »est;"* eo in casu enim foret sanguis coagulatus, et immunda erit ob menses; si non solvantur, forent particulae ulceris vel abcessus uteri: — immittebantur particulae dubiae in aquam tepidam (בפושרין) per XXIV horas. Si vero casus urgeret, judicationem suadent sequenti experimento. Fricetur materies abortiva cum saliva supra unguem; si est sanguis, saliva illum solvit. Ista experimenta demonstrant quidem sagacitatem horum medicorum, neque iis omnis fides est deneganda. Doleo vero, Gemaristas non attulisse rationes, quibus fuerint ducti hi Medici, ut abscessum uteri dignoscerent.

§ 20.

*De secundinis abortu editis.*

Loquuntur denique de abortu secundinarum (המפלת שליא, *Nidda, fol.* 24 *b.*). Ob talem abortum femina

debebat implere dies purificationis pro mare et pro femella; nam dicunt: »*nullae secundinae absque infante*'' *(Nidda*, 26 *a.)*. Tali in casu enim verus abortus exstat; secundinae tantummodo superstites manserunt, dum ipse embryo interiit. Statuit Rab (*Nidda*, 26 *b.*) secundinas insequi abortivum foetum intra tres dies, quumque femina aborta fuerit, et placenta veniat serius quam post tres dies, tunc polluta est *ob novum partum.* Errant tamen Rabbini nonnullis in rebus. Secundinas nempe semper insequi infantem, — et quando istae exeunt foetum jam fuisse expulsum, haec non omnino cum experientia nostrorum dierum conveniunt, quia placenta remanens, primo illud docente cl. Nägele, aliquando viribus uteri absorbentibus plane disparuit et fuit absorpta;— et rarissisimis casibus etiam placenta praevia ante foetum in lucem prodiisse videtur. Neque minus a veritate discessit Rab, statuens, »in abortu citius insequi secundinas quam in partu vero,'' quia nunc satis superque notum est, in abortu saepissime secundinas diu in utero morari antequam exeant, et quidem per hebdomades plures sine ullo mulieris damno.6). (*Cf.* L. F. von Fro-

6) In lectionibus obstetriciis Cl. de la Faille narravit, se ante aliquot annos fuisse vocatum ad puerperam, quae quatuor fere diebus tunc post partum nondum expulerat secundinas. Exploratione orificium uteri satis inveniens clausum, credidit errorem Obstetricis, et forsan cum sanguine ex haemorrhagia gravi, secundinas fuisse rejectas. Post biennium autem ad eandem feminam, iterum parturientem vocatus ob haemorrhagiam, vidit placentam recentem expulsam cum insequente massa dura, compacta, albida, fere coriacea, magnitudinis et formae pilae oblongae, (uti Ruysch tales refert); quam accurate investigatam, ex fabrica vasculosa interna tandem dignovit placentam anterioris partûs.

riep's *Handbuch der Geburtshülfe. Ed.* 7a. *p.* 266. — Busch *und* Moser: *l. c. III. p.* 214.).

*De lapide stationis.*

Medicamenta, quibus praecaveri posset abortus, vel cura quaedam, qua mulierem abortum patientem tractare oporteret, nullibi reperiuntur, excepto autem Amuleto, de quo in Tractatu *Sabbath*, *fol.* 66 *b.* sermo est, quodque mulieres collo adalligare deberent ne aboriren-tur. Venit amuletum illud nomine אבן תקומה *lapidis stationis*, (Buxtorff); et imprimis istis feminis bonam praestaret, quae jam antea abortum passae, et nunc, iterum gravidae, novum abortum timerent.

## CAPUT III.

## DE PARTU NORMALI ET ABNORMI.

### A.

### DE PARTU NORMALI.

### § 1.

*De Sella obstetricia.*

Tempore patriâque Talmudicorum, omnia, quae feminae parturienti ferebantur auxilia, Obstetricibus fuisse mandata, supra jam dixi: nihilominus tamen in difficilioribus casibus viros quoque praestitisse auxilium. In Talmude non quidem exstat locus, quo patet quaenam auxilia Obstetrix in partu normali tulerit; sed nonnulla tamen obveniunt, quibus haec quaestio luce quadam collustretur. Primo loco de adminiculis partûs agam, inter quae aptus parturientis situs certe primum tenet locum.

Collocabant parturientem in sellam quamdam; et nullibi in Talmude Babylonico invenimus notitiam, quae docet, lectum vulgare hunc in scopum fuisse usitatum. De ipsa *Sellâ obstetriciâ* paullo fusius agere oportet,

siquidem adhuc hodie sub judice lis est, quanam aetate haec primo in usu venerit. Ejus mentionem in Talmude Babylonico ipsa Mischnah jam facit: — dolendum autem, auctores hujus operis nomina eorum quorum varias sententias collegerunt posteritati non tradidisse. Quum igitur jam in *Mischnah* de *Sella* est sermo, sequitur, *Sellam jam cognitam fuisse Doctoribus Mischnicis, seculo III° P. Ch. N.* Sed Mischnici doctores prius jam sellam novisse videntur, uti patet e *Kelim* (*Cap. XXIII.* M. 4), quo loco discussionem de ea legimus adnotatam, cujus quoque R. Jose fuit particeps; et R. Jose vixit seculo II° 1). Nullum ergo dubium superesse potest, quin *Sella obstetricia* saltem jam ineunte seculo III° doctoribus Mischnicis fuerit cognita; imo longe antea jam bene cognitam fuisse sellam, eo quoque probatur, quia agitur de illa ut re maxime vulgari, cujusque hanc ob gratiam nullibi ulterior occurrit explicatio. Hoc respectu sellae obstetriciae idem accidit, quod multis aliis supellectilibus, quorum hic Tractatus facit mentionem, quaeque ut plurimum hodie ignoramus. Sed non solum in partu difficili has sellas in usum vocabant, verum etiam in partu naturali. (*Vid. Sabbath*, 128 *b. Eirchin* 7 *a. et alibi*).

Procul dubio igitur evictum videtur, sellam obstetriciam longe antiquiorem esse, quam vulgo credant Medici; quorum ante aliquot annos adhuc plurimi perhibuerunt, Moschionem et Artemidorum primos de ea mentionem fecisse 2). Sed jam ante Moschio-

---

1) Fuit enim R. Jose Chalephtha magister R. Jehudae Sancti. Vixit forsan ab Ao. 150-200 et ultra p. Ch. N.

2) Moschion: *de mulier. passion. Ed. cit. cap.* 47. Arte-

nem, magister eius Soranus Ephesius, qui floruit anno circiter 120° p.C., *sellam obstetriciam* accurate descripserat in libro *de passion. mulier.*, eamque protulerat ut diu jam cognitam. (Cf. Pinoff: *Diss. laud. p.* 29 *sqq.*). *Sella* venit in Talmude nomine משבר, proprie *fractor*, a *vires feminae frangendo.*

Sunt autem veteres atque recentiores interpretes qui opinentur, notitias etiam multo veteriores hac de re exstare, verbum האבנים (*Exod. I.* 16.) nempe interpretantes: *sellam obstetriciam*:— et quamvis hanc interpretationem non *omni* dubio liberam habeam, meam tamen facio 3). Neque ii videntur errare, qui quoque verbum

---

midori *Oneirocritica.* Cf. inprimis: Ed. C. J. von Siebold: *Versuch einer Geschichte der Geburtshülfe*, I. Bd. p. 41, 42, 43.

3) Inter eos, qui huic voci aliam tribuerunt significationem, pertinet quoque R. Chanin, Talmudista quidam, qui ita effatur: (*Sotah*, 11 *b.*): »*Quid est* אבנים? *Dixit* R. Chanin: »*magnum signum iis tradidit* (Pharao obstetricibus), *dixit iis*: »*tempore quo se inclinat ad pariendum femora sua frigescunt* »*lapidum adinstar* (כַּאֲבָנִים). *Et quod attinet ea, quae dicuntur* »(*Jerem. XVIII.* 3.). »*Et descendi ad domum figuli et ecce!* »»*operam perfecit supra rotam*'' (figulorum) (אָבְנָיִם): *uti figulus* »*femur illud hoc loco, et femur* (alterum) *in alio loco, et rota figuli* »*in medio, sic et femina femur ad hoc latus, et femur alterum* »*in latus, et infans est in medio.*'' R. Chanin ergo aliam assumit interpunctationem, formamque dualisticam in pluralem mutat, atque (uti postea multi) voce nostra videtur subintellexisse *partes genitales parturientis.* Quae Septuaginta verterunt, „καὶ ὦσι προς τῷ τικτειν," nullo modo cum textu Hebraïco conveniunt; hicque locus videtur etiam adjungendus multis illis mendis, quibus codex Septuaginta scatet. Interpretatio Cl. Rettig ridicula est et manca (vid. Siebold l. c. 42), neque cum Cl. Siebold conjecturam doct. Redslob, declarare auderem »als der beste

משבר, obveniens in Jesaj. XXXVII. 3. et II *Reg.* XIX. 3. *sellam obstetriciam* habent, quae verba autem tropice sunt sumenda; sc. »infantes jam fere sellam attingunt, in exitu sunt, deficiunt vero mulieri vires ad partum absolvendum."

Magis tamen mirandum, etiam adfuisse nonnullos, qui notitiam *sellae obstetritiae* in ipso quoque Talmude negaverint. Haec autem dubia plane falsa sunt, et exinde orta, quod illi ex fonte impuro hauserunt 4).

---

und einfachste," quum ne e longinquo vox האבנים similitudinem quamdam habeat cum illis vocibus, quibus Hebraei *testiculos* significant. (Eo minus hanc quaestionem silentio praeterire oportet, quia et Cl. Siebold (*l. c. p.* 39 *sqq.*) istis explicationibus in errorem est ductus.).

Multam hac in re fidem tribuo interpreti Chaldaïco vetustissimo, Onkelos, qui האבנים = מתברא habet, ergo perfecte conveniens cum Talmudica *sella*, quae nomine venit משבר, quibuscum etiam Baal Aruch, *fol.* 110 *b*, consentit. Si porro cogitemus, apud *Jerem. XVIII.* 3. האבנים significare rotam, s. sedem, non video quare quoque hoc in loco non significaret aliquam *sellam*, *sedem parturientis feminae.* Apta quidem non fuit neque idonea talis sella, sed »vividae fuerunt Hebraïcae mulieres," neque priscis tantae commodum erat curae ac nostris diebus. — nostraeque feminae talem non optarent sellam qualem Soranus et Moschion describunt.

Quamvis itaque verbum האבנים revera sellam obstetriciam significare videatur, dubia quaedam tamen tamdiu supererunt, donec ex monumentis veteris Aegypti pateat, tale instrumentum ea regione iisque temporibus in usu fuisse, et donec in veteri Aegyptiaco idiomate vox reperiatur ejusdem significationis et aequalis nostrae voci Hebraicae.

4) Vir Cl. Rettig, in Ullmann's und Umbreit's *Theologische Studiën und Kritiken*, *VII Jahrg. I Bd. p.* 99, non solum exsistentiam *sellae* in V. T. negat, sed quoque in Talmude.

Constructio tamen sellae Talmudicae nusquam traditur. Tempore fere aequali, forsan autem serius quam

---

Affert vir Cl. testimonium ipsius Maïmonidis, qui in commentario in Mischnam, *Sabbath*, *fol.* 128 *b.*, inter ea quae ad partum necessaria sunt, et propter quae Sabbathum violare licet, etiam recenset »*nexum funium a quibus se suspendat ipsam tempore partûs.*'' His verbis Maïmonidis nitens, Rettig non dubitat exinde argumentum petere pro sua thesi, credens *Talmud* agere de hoc »nexu funium.'' Sed graviter erravit vir Cl.; nam Maïmonides quidem talia dicit, sed in ipso Talmude, neque eo loco nec alio, de *nexu funium* sermo est. His accedit quod ipse Maïmonides in opere seriori aetate confecto, quodque *Jad-Hachasakah* inscribitur, hujus rei nullam facit mentionem, quum, in exponendis praeceptis diei Sabbathi (*Cap. II. Hal.* 11.), enumeret ea quae necessaria sunt ad partum. Neque vero ex mente Gemarae Maimonides talia potuit pertractare, siquidem ne ullo quidem loco in illa occurrat mentio »*funium nexus*, *a quibus se suspenderet ipsam tempore partûs!*"

Hoc tamen argumento auctor nullomodo contentus, tandem unum affert documentum, quo (uti censet) tota historia interpretationis verbi האבנים, nec non »fabula de sella,'' ad nihilum reducerentur. »In einer weiteren Stelle (*de vasis* 23. 4.)," inquit Rettig, »wird die *Sella obstetricis* genannt. Der Commentar »dazu scheint auf den Ursprung der ganzen *Fabel* (!) von einen »Geburtsstühl zu führen. Denn ausdrücklich beruft sich der Com- »mentator auf das Targum, welches על האבנים durch מתברא »erkläre, und leitet daher die Bedeutung *sella mulieris puerperae*, »da doch die Text ausdrücklich מושב שלחיה hat und R. Mosche »erklärt: *sella quaedam cui* obstetrix *insidet apud puerperam!* »Et haec sunt Cl. viri argumenta, quae Cl. von Siebold (*l. c. p.* 40), epitheto »*schlagend*'' ornat. Sed videamus, num eam laudem mereantur. In loco a Cl. Rettig citato, (*Kelim. C. XXIII. M.* 4.) obveniunt verba: ומשבר של חיה. (De significatione vocis חיה, cf. *Introd. p.* 32 § 4). Auctor clarissimus plenam fidem habuisse videtur iis, quae a Surenhusio, in sua versione

vixerunt auctores nonnullarum sententiarum in Talmude,

---

Mischnae (*Tom. VI. pag.* 116.), sunt tradita; sed Surenhusius ipso hoc loco maxime erravit, et quidem in voce חיה; quam vocem *τὸ* חיה semper promiscue adhibitam esse a Talmudicis et pro obstetrice, et pro puerperâ ipsâ, videtur ignorasse. Sic v. c. in *Joma* (*C. VIII. in Mischn. Ia.*) vox חיה obvenit, et ipse Surenhusius optime eo loco vertit: »*puerpera*.” Num forsan autem *hoc* loco erravit Surenhusius et bene vertit *priorem* locum? Minime gentium! Quisnam vocem חיה in loco allato (*Sabbath*, *f.* 129 *a.*): per »*obstetricem*” verteret! Locus hicce ita sonat: »*Dixit* Schemuël: *femina parturiens* (חיה) *per omne tempus quo sepulcrum* (uterus) *apertum* »*est, num dicat egeo, vel dicat non egeo, violant propter* »*illam Sabbathum: si clausum est sepulcrum, num dicat egeo,* »*vel dicat non egeo, non violant propter eam Sabbathum.*” Ponatur nunc loco verbi »*parturiens*” verbum »*obstetrix*,” — etiam obiter textum inspicienti luce clarius patebit, sensum tunc plane perversum esse. — Sed plura habemus: fateor enim, me reperisse neque in textu Mischnae ipsius, nec commentationis Bartenorae, vel Maimonidis, verba מושב של חיה: undenam itaque haec hauserit Rettig, prorsus nescio! — Verum pulchriora adhuc sequuntur: »ipse R. Mosche (Maimonides) *erklärt:* »*sella quaedam cui obstetrix insidet apud puerperam!*” Haec verba sunt repetitio verborum Surenhusii, qui totam explicationem Maimonidis, nec non textum ipsum plane corrupit: — commisit nempe priorem errorem vertendo משבר של חיה = »*sella obstetricis*;” — nunc autem vertens explicationem Maimonidis ad has voces, ita scribit: »*est sella quaedam cui obstetrix insidet apud puerperam*:” — haec autem Maimonides non dixit nam textus Hebraicus ea habet: ומשבר של חיה הוא הכסא אשר יעשה לאשה ההרה לישב עליו אצל הלידה: hoc est: »*Sella feminae parturientis: est sedile illud quod perficitur feminae gravidae, ut sedeat in illo durante partu.*” Haec dixit Maimonides, — non ea quae protulit Surenhusius, quaeque ab aliis sunt repetita.

**Galenus** quoque de *sella* disseruit in libro: *de naturalibus facultatibus, Lib. III.* (K. *II. p.* 151, 152.) 5)

§ 2.

*Alia adminicula partûs.*

Alia quaedam adminicula partûs recensentur in Tractatu *Sabbath fol.* 128 *b.* (*in Mischna et Gemara*); quo loco ita disserunt: »*Licitum est, propter feminam parturientem Sabbathum violare, ejus causâ obstetricem* »*vocare ex uno loco in alterum, accendere lucernas,* »*offerre ei oleum, et accendere rogum ut illa calescat.*" Solebant porro feminae imponere spongias oleo imbutas, ne frigesceret; id quod patet ex sequentibus verbis R. **Nachmanis** in *Sabbath fol.* 54 *b.*: »*Tempore* »*quo* (ovis) *procumbat ad pariendum, abscondunt ei* »*duas spongias* (vel linteamina mollia) *in oleo, et im*»*ponunt ei unam fronti, et unam supra uterum, ut* »(ovis) *calescat. Dixit ei* R. **Nachman**: *tunc facis* »(ovi) *ac si fuerit* **Jalte** (uxor R. **Nachmanis**." 6).

Ante jam dixi, in ipso Talmude perpauca occurrere, quibus munus obstetricum ulterius illustretur. Obveniunt vero quaedam notitiae de auxiliis, bestiis afferendis, quaeque ita sonant, (*Sabbath, fol.* 128 *b.*): »*Quomodo juvant?* R. **Jehuda** *dixit: arripit foetum,* »*ne humi cadat.* R. **Nachman** *dixit: premit carnem,* »*ut exeat foetus. — Didicimus* [*secundum sententiam*

---

5) »Quin et jam obstetrices ipsae non illico parturientes sur»gere jubent nec in sella collocant (οὐδ' ἐπὶ τῶν διφρῶν καθι»ζοῦσιν), imo prius os uteri, quod paulatim se aperit tangunt."

6) Oleum et spongiae molles etiam a **Sorano** recensentur inter partûs adminicula; sed suadet **Soranus**, oleo calido genitalia illinire ad dolores mitigandos. **Pinoff** *l. c p.* 33.

»R. Jehudae: *quomodo juvant? arripiunt foetum ne* »*humi cadat, et inflant ei in nasum, et porrigunt ei* »*papillam in ore, ut sugat. Dixit* R. Schimeon »ben Gamaliëlis: *miserebamur bestiae mundae in* »*die festo. Quomodo id factum est? Dixit* Abaje: »*manipulum salis afferatur et ponatur ei in utero, ut* »*memor sit doloris sui et se misereat ejus* (pulli); *et* »*stillare faciunt liquorem secundinarum* (liquorem amnii) »*supra pullum, ut* (mater) *odoretur odorem ejus et* »*misereatur ejus.*" — Haec quum bruta spectent, ulterius non explicabo: monendum tamen, nostro adhuc tempore multa ejusmodi auxilia in usu esse.

Transeamus ad partûs ipsius negotium.

§ 3.

*De ipso partu.*

Probatur exemplis in Tractatu *Bechoroth* (*fol.* 8 *a.*) sequens Abaje*i* sententia: »*Cuicumque virilitas ex*»*terne est* (eorum femella) *parit;* (cuicumque virilitas est) »*interne, ponit ova. Quaecumque* (animalia) *coëunt de* »*die, pariunt de die;* (quae coëunt) *de nocte, pariunt de* »*nocte; sed quaecumque coeunt et de die et de nocte,* »*pariunt vel de die vel de nocte.*" Omnium infantum, qui nascuntur, dimidia pars est sexûs masculini, et dimidia sexûs feminini: itaque tot mares nascuntur quot puellae. Sic statuit R. Jehoschuah, in *Bechoroth, fol.* 20 *b.*, quae sententia a veritate vix est aliena 7).

Tempore partûs, infans in utero est corpus heterogeneum; quae regula ita a Rabbinis circumscribitur:

---

7) In Borussia v. c. ratio infantum masculinorum ad infantes femininos, per annos 1820-1834, fuit = 1,060 : 1. Busch und Moser, *l. c.*, *Bd. IV.* Art. *Partus.*

»*Quando se abrupit* (infans), *corpus alienum est.*" *Eirchin: fol.* 7 *a.* Verbo illo עקר = *abrupit*, *solvit*, forsan dicere voluerunt Rabbini, infantem ligamenta, quibus utero adnectitur, tunc disrumpere, et tum exire. Rabbini igitur videntur fovisse opinionem eandem ac omnes veteres, qui credebant, infantem ligamentorum ope utero materno adnexum esse, quibus ruptis, locum habet partus.

§ 4.

*De doloribus ad partum; et de situ, quo infans nascitur.*

Causam dolorum ad partum, et situm quo infans nascitur, Talmudici sequenti modo explicant; in *Nidda*, *fol.* 31 *a.*: »*Et quum advenerit tempus ejus exeundi,* »*se vertit et exit, et ii sunt* (et ea est causa) *dolores* »*feminae. Et id est quod didicimus: dolores puellae* »*vehementiores sunt quam dolores maris. Ille* (mas) »*venit secundum modum coitûs sui, et illa* (puella) *venit* »*secundum modum coitûs sui; haec faciem convertit,* »*et ille faciem non convertit.*" In *Sotah*, *fol.* 11 *b.* tradunt, regem Pharaonem obstetricibus Hebraeis signa dedisse, ut marem a puella facile dignoscerent, et quidem inter ea: »R. Chanina *dixit: magnum sig-* »*num iis tradidit: mas facie suâ est deorsum, puella* »*facie suâ sursum.*" — Causam igitur, quâ feminis partus difficilior esset quum puellam eniterentur, in majore rotatione et versione puellae ponebant. Paraphrastes Raschi huic loco in Tractatu *Nidda* addit: »uti vir »faciem vertit deorsum (in coitu), ita etiam mas nas- »citur cum facie deorsum; et uti femina faciem habet »sursum, sic puella vertere sese debet;" foetus faciem enim in utero deorsum spectare credebant, uti supra

dictum est (*Vid. pag.* 67). — Puella itaque plures perficere debet rotationes mare; atque hinc dolores, qui ab illis rotationibus pendent, majores sunt et plures quando puella nascitur. Puellam facie sursum, marem vero situ contrario nasci, est opinio certe singularis Rabbinisque propria, cujus autem falsitatem probare nostris diebus non opus erit.

Mirum vero non est, Rabbinos causam dolorum ad partum quaesivisse in foetu ipso; nam non solum tota antiquitas, sed etiam plures obstetricatores recentiores (v. c. adhuc ante aliquot annos J. B. Friedreich) hanc in rem infanti vim longe majorem tribuerunt quam utero. Rabbini porro partum puellae difficiliorem pronuntiaverunt partu maris; et haec sententia iis est communis cum omnibus veteribus, inter quos Aristotelem 8) citabo, cui adsentiunt Plinius 9) et Galenus 10). Haec omnia falsa esse, hodie satis constat: — imo Burdach contrarium docet, partum nempe puellae esse faciliorem, tardius tamen peragi partu maris (*Die Physiologie als Erfahrungs Wissenschaft. Bd. III. pag.* 37.).

Attendentibus ad sententiam: »*et quum advenerit* »*tempus ejus exeundi, se vertit et exit*," ex verbis »*se* »*vertit*" (מתהפך) nobis apparet, Rabbinos quoque eidem hypothesi addictos fuisse ac omnes veteres, statuentes

---

8) »Quae marem gerunt, fere facilius expediuntur et nitidiores »degunt, quae feminam contra.'' *Hist. animal. L. VII. c.* 4.

9) »Melior color marem ferenti et facilior partus, motus quadragesimo die. Contraria omnia in altero sexu, ingestabile onus, crurum et inguinum levis tumor.'' *Hist. Natural. L. VII. c.* 6.

10) »Masculus autem in corpore quam femina majorem motum plerumque concitat et facilius paritur, tardius femina.'' *Comm. III. in* Hippocr. *Epidem. Lib. B* K. *XVII. A. p.* 445.

omnem foetum, graviditate ad finem vergente, in caput sese vertere *(Culbute)*; — hic enim non quidem erit sermo de rotationibus foetûs in ipso partûs actu.

§ 5.

*De doloribus praesagientibus, et haemorrhagia ante partum.*

Dolores praesagientes, una cum haemorrhagia, jam diu ante partum aliquando oboriri posse, doctores Mischnici in Tractatu *Nidda*, *fol.* 36 *b.* statuunt. Legimus ibi: »*quamdiu durat difficultas partûs* 11)? R. Meir »*dicit, imo* (aliquando) *quadraginta et quinquaginta* »*dies;* R. Jehuda *dicit: sufficit ei suus mensis* 12); »R. Jose *et* R. Schimeon *dicunt: nulla difficultas*

11) »Gravida, si doloribus affici incipit, eique sanguis »fluere incipit antequam pariat, ejusmodi sanguis vocatur *sanguis* »*difficultatis* (דם הקושי)." Maimonides, *Hilchoth Issure Biah. C. VII. Hal.* 1. »Et illud initium dolorum et stillicidium »sanguinis vocatur *difficultas* (קישוי)." Cf. Maimon. *ad Mischnam cit.*

12) Haec ut bene intelligantur, ulteriore indigent explicatione. Est quaestio in hac Mischna: utrum femina gravida, quae in ultimo stadio graviditatis sanguinem videt, menstruata vel fluens sit habenda? Nunc rogant: quonam tempore jam statuere possumus, stillicidium sanguinis ex ipso instante partu oriri? Nam si ex ipso partu ortum habeat sanguis, non fluens est femina; sed sanguis pertinet ad partum. R. Jehuda hinc dicit: »omne »stillicidium sanguinis quod mense nono obtinet, partûs est effectus." Maimonides quidem aliter Mischnam intellexit; sed quum ad nostrum argumentum haec vix pertineant, ea omittam. In Gemara hanc regulam assumunt: »*Summa rei haec est: si* »*difficultas partûs perpetua sit, non parit uti fluens; sed si dolores* »*per dies nonnullos cessent, stillicidium sanguinis vero continuet,* »*tunc est parturiens et simul fluens.*"

»*partûs diutius durat quam per duas hebdomades.*" In ipsa Gemara tamen dicunt, nonnisi aegrotantibus supervenire praesagientes dolores, diebus quadraginta vel quinquaginta ante partum. Ceterum etiam auctores hodierni statuunt, inprimis in multiparis dolores praesagientes non raro jam IV hebdomades ante partum obvenire. Sensu tamen quo difficultatem partûs intelligunt Talmudistae, R. Jose et R. Schimeon aperte errant; quum praesagientes dolores jam citius nonnunquam adveniant, quam duabus hebdomadibus ante partum.

§ 6.

*Signa diagnostica aperturae uteri*

Quaedam signa diagnostica aperturae uteri, aliaque hanc rem spectantia, offenduntur in Tractatu *Sabbath*, *fol.* 129 *a.*: »*A quonam tempore adest apertura sepul-* »*cri* (uteri)? *Dixit* Abaje 13): *ab hora inde, quâ* »*sedet in sella.* — R. Huna, *filius* R. Josuae, *dixit:* »*a tempore inde, quo sanguis fluere incipit. Et dixe-* »*runt ei: a tempore inde, quo amicae eam suis bra-* »*chiis ferunt. — Quamdiu adest apertura sepulcri?* »Abaje *dixit: per III dies.* Rabba *dixit ex nomine* »R. Jehudae: (per) *VII dies. Et dixerunt ei: per* »*XXX dies. Nehardaei* (Academici urbis Nehardeae) »*dixerunt: III, VII et X;* (quibus verbis volunt), *die-* »*bus tribus prioribus, sive dixerit, egeo, — sive dixerit,*

13) Saepius jam sententias hujus viri attuli, quae tamen non semper magnam ejus artis obstetriciae peritiam testantur. Proprium ei nomen fuit Nachmeni. Praeses factus est Academiae in urbe Pumbeditha, circiter Ao. 330 p. Chr. Quam maxime meruit de educatione infantum et jurisprudentia Judaica.

»*non egeo*, — *violant propter eam Sabbathum*; — *VII* »(septimo die si) *dicit*, *egeo*, — *violant propter eam* »*Sabbathum*, (si) *dicit, non egeo*, — *non violant propter* »*eam Sabbathum*; — *dies triginta* (post partum), *licet* »*dixerit, egeo*, - *non violant propter eam Sabbathum*, »*sed faciat* (operam) *Aramaeus* (gentilis) *die Sabbathi.* »*Est secundum* Ullam *filium* Ilaii *dicentem*: *omnia* »*quae necessaria sunt aegrotis*, *ab Aramaeo absolvuntur* »*die Sabbathi. Et* (hoc quoque est) *secundum* R. Ham»menunam; *nam* R. Hammenuna *dixit*: (omnem) »*rem*, *cui non est periculum* (in mora), *commendent* »*gentili et faciat* (ille)." Sententiam Abajei, feminam non prius in sellam esse collocandam, nisi jam adsit apertura uteri, jam ante eum statuerunt Soranus 14), Moschion 15) et Galenus 16), et post eum Aëtius 17) et Paulus Aegineta 18).

Diagnosticum signum ex sanguine fluente petitum, omnes veteres silentio praeteriisse videntur, excepto Sorano, qui dicit, »partu vero appropinquante, genitalia intumescere et tenesmum urinae infrare, liquorem

---

14) »Quo vero tempore orificium uteri dehiscat, et chorii »ruptura immineat, parturientem in sella collocandam esse." Pinoff: *l. c. pag.* 25.

15) »Cum vero chorion ad ovi magnitudinem in orificio uteri »protuberans invenerimus, eam in sedile transferemus." *l. c. Cap.* 49.

16) *De naturalibus facultatibus*, *l. c.*

17) »Porro tempus collocandi puerperam in sellam est: quum »uteri, osculo aperto digitis occurrerit ac prominuerit id quod »praerumpi solet." *Tetrabibl. IV. Sermo IV. Cap.* 22.

18) »Tempus autem desessus in sellam est quum osculum uteri »apertum digitos occurrerit et praeruptio prominuerit." *De re medica. Lib. III. Cap.* 76.

»effluere e genitalibus plerumque sanguineum, vasis chorii »tenuibus ruptis" (Pinoff: *l. c. pag.* 24.). Est certe illud signum, quod nos »signare" (*het teekenen*) vocare solemus.

Quae sequuntur: „*de tempore inde, quo amicae »eam suis brachiis ferunt*," haec alio loco in Tractatu *Oholoth. Cap. VIII. Mischnae* 4. illustrantur, quo loco nimirum sequentia offenduntur: „*Dixit* R. Jehuda: »*Quando* (domus est impura)? *Quum in humeris tol»latur; sed si perambulet, prior est munda; nam ex »quo fuerit apertum sepulcrum, otium ei non est peram»bulandi*" 19). Rabbini itaque comprobaverunt quoque veterum quorumdam absurdum consilium, feminam scilicet prioribus periodis partûs oportere ambulare nonnullosque perficere labores, quibus omnibus nimirum partus citius absolveretur. Moschion vero recte illud consilium rejecit 20)

Quae sequuntur circa tempus, per quod uterus manet apertus post partum, haec cum hodierna doctrina non plane conveniunt. Profecto sententiam Abajei falsam habemus, quia tertio die post partum orificium externum neque internum clausum est. Lubenter vero

---

19) Discutiunt eo loco doctores Mischnici, num domus, in qua femina, cujus infans mortuus est natus, degebat prioribus periodis partus, impura sit nec ne? R. Jehuda concludit, »si femina fuit in illa domo tempore aperturae uteri, dubium »num domus sit impura" Infans enim mortuus impuram reddit domum, quâ nascitu.

20) »Jubebat quidem antiquitas ut ambularent, aqua perfun»derentur et cibos assumerent. Nos autem non ita haec fieri »consulimus, eo quod deambulatio foetum jam modo vix non »prodeuntem expellat et iterum excutiat." *l. c. cap.* 50.

assentior statuentibus, post dies septem clausum esse orificium uteri, scilicet internum; externum vero nullomodo; siquidem in multiparis ad statum pristinum non redeat et semper aliquantulum apertum maneat. Concedimus tamen Talmudistis, periculum eo minus esse, quo remotior sit ipse partus.

§ 7.

*Exponitur quisnam situs sit normalis, quo infans nascatur; et quisnam sit modus quo caput exeat.*

Ex mente Talmudicorum unicus situs normalis is est, quo foetus capite praevio nascitur. Dicunt enim Mischnici: „*Exiit uti solet: donec exierit maxima pars* „*capitis ejus* 1). *Et quae nam est maxima pars capitis ejus? Quando exierit frons ejus.*" *Nidda*, *fol.* 28 *a.* Hisce sequentia addunt in subsequente Gemara: (*Ibid. fol.* 29 *a.*). „R. Jose *dixit: quando exit secundum normam suam* „*ad vitam. Et quaenam est norma ad vitam? Quando* „*exiit maxima pars capitis ejus. Et quaenam est* „*maxima pars capitis ejus?* R. Jose *dicit: quum* „*exierint tempora.* Abba Chanan *dicit ex nomine* „R. Jehoschuae, *quum exierit frons, et nonnulli* „*dicunt quum cornua capitis in conspectu sunt.*" (משיראו קרני ראשו, tuberositates occipitis; Raschi).

1) Tunc natus habetur.

Licet haec verba nimis vaga sint, ut ex iis aperte possemus dijudicare quamnam ideam de mechanismo partûs coluerint Rabbini, exinde tamen patet, ni fallor, modum quo caput exit, Rabbinis non tam incognitum fuisse quam omnibus aliis veteribus. Et licet verba mox allata a Rabbinis praecipue in medium prolata sint ut definirent quaenam sit *maxima pars capitis*, probant tamen haec nonnullos e Rabbinis cogitasse *tempora omnium prima*

*exire*, faciei partem superiorem itaque prius in lucem edi, cui opinioni illi quoque assentiunt, qui statuunt maximam partem capitis exiisse si frons nata sit. Nos vero iis magis applauderemus, qui dicant: „quando *cornua capitis* „(hoc est *occiput*, uti quoque ex antithesi patet) in con-„spectu sunt," quum revera occiput inter omnes capitis partes per rimam pudendorum primum transeat.

Ex hisce parcis notitiis quoque redundare videtur conclusio, etiam in iis regionibus viros nonnunquam partui naturali adstitisse.

Modum autem, quo caput infantis pelvim intret, non tradunt; crederem vero, Talmudistas quoque asseclas fuisse doctrinae, quae faciem infantis os sacrum spectare docebat. Haec opinio ex iis quae supra dicta sunt de causa dolorum ad partum probari videtur: — dolores enim nascente puella graviores habebantur quam dolores nascente mare, quia puella „*vertere se debet, ut facie* „*sursum nascatur*": mari autem non opus est tali versione, quoniam caput eadem positione prodit qua in utero collocatum fuit, nempe facie deorsum spectante et ad os sacrum matris reversa 21). Assumentes unum

---

21) Ex his quidem videmus, Rabbinos notitiam quamdam accuratiorem habuisse de mechanismo partùs, seriori tempore primo a Fielding Ould et Smellie, nostrisque diebus a Naegele inprimis exculta; verum exinde non patet, Talmudistas dedisse descriptionem mechanismi partùs *capite praevio*, quà videre possemus eorum opinionem circa modum, quo caput pelvin intret. Quae falsa opinio viri doct. Fulda (*in* Siebold's *Journal für Geburtshülfe. VI Bd I st. p.* 7.) ortum duxit ex sua perversa hujus loci interpretatione; quia, loco »R. Jose »*dicit: quum exierint tempora*, posuit: »Rabba Jose *sagt:* »*der Eintritt des Kopfes mit dem Seitenwandbein*;" id quod nullomodo e verbis ipsius Talmudis duci posse facile patet.

tantum normalem situm, Talmudici eandem fovebant opinionem, cum omnibus Medicis qui ante eos vixerunt et pluribus inter suos aequales: — sic auctor libri *de natura pueri* 22) illum unicum situm felicem et naturalem proclamat, quodque Plinius 23) ei assentit; neque Galenus 24) aliam fovet sententiam: — et, uti illi, sic Talmud quoque partum pedibus praeviis quidem memorat (*Nidda*, 26 *a.*), attamen, ni fallor, non secundum naturam eum habet: dicentes enim audivimus Rabbinos „infantem tunc modo secundum normam exire, quum caput sit praevium." Celsus 25) tamen, qui ante R. Josen floruit, Soranus 26) ejusque discipulus Moschion 27)

---

22) »Puer autem ...... siquidem suo momento in caput »magis inclinet, facile mulier parit. Quod si in latus, aut in »pedes prodeat, si sic unquam, difficilem partum mulier sen- »tiet.'' Hipp. *Opp.* F. *Sect. III. p.* 28., ita quoque *Ibid. p.* 26., *De morb. muher. Lib. I.* F. *Sect. V. p.* 167.

23) »In pedes procedere nascentem contra naturam est.'' *Hist. Natur. Lib. VII. cap.* 8.

24) ......... »Caput enim foetus primum collo matricis in- »didit, tum per id aliis ipsius partibus viam munivit. Atqui, »si foetus obliquus aut transversus pararet egredi, aut si secundum »longitudinem quidem, sed non ut nunc, id est caput, non in- »sereret, quod nonnunquam etiam sed raro accidit, vel crus ante »caput vel manum exerens, difficilem aliis membris exitum effi- »ceret.'' *De usu part. corp. hum. Lib. XV.* K. *IV. p.* 247 Cf. *Definition. medic.* K. *XIX.* 455.

25) »In pedes quoque conversus infans non difficulter extra- »hitur.'' *De medicina Lib. VII. c.* 29.

26) »Reliquis tamen figuris minus suspecta est ea, quae in »pedes contingit.'' Pinoff: *l. c. p.* 44.

27) »Quis foetus partus bono situi proximior? Quotiescum- »que junctis et in orificio uteri locatis pedibus, manibus sane »lateribus junctis prodit.'' *l. c. cap.* 148.

(aequales?) partum pedibus praeviis partui naturali proximum censebant.

## § 8.

*Altera idea Rabbinorum in partûs mechanismum.*

Hoc loco singularem audiamus opinionem, quam Rabbini foverant de actu ipso partûs. Hanc sententiam memoriae nostrae tradiderunt Talmudistae in discussione quadam valde intricata, quae obvenit in *Nidda, fol.* 26 *a.* Agitur eo loco de casu quodam ficto, quo femina simul et Sandalum et verum infantem peperisset. Sequenti autem modo loquuntur:

»*Quando exeunt, non exeunt nisi* »*conjuncti* 1). R. Papa *dixit: Exinde* »*disco: infantem cum Sandalo esse con*»*junctum usque ad suum dimidium* 2), »*et Sandalum capite suo foras expel*»*lere* 3). *In loco illo de Primogenito* 4) »*ita potuerat esse, quod exierint via* »*suorum capitum, et tunc Sandalus* »*prius venit* 5). — *In* (loco illo in Trac»tatu) *Kerithoth* 6) *judicare possumus,* »*quod exierint viâ pedum suorum, et* »*tunc infans primus venit* 7). — Rab »Huna, *filius* Tachlifae, *dixit ex* »*nomine* Rabbae: *imo quum cogites* »*quod sint conjuncti* 8). *Sed debemus* »*invertere thesin. Apud Primogeni*»*tum: exierant viâ pedum suorum;* »*infans, in quo est vita, se adhaeret* »*et non exit; Sandalus, in quo non* »*est vita, dilabitur. — Apud Keri-*

1) Sandalus et infans.

2) i. e. caput infantis umbilicum illius Sandali attingit, et ita caput infantis Sandalum foras extrudit.

3) Nunc loca affert quibus de tali casu agitur.

4) In illo loco casum inquirunt, num Sandalus, qui vero infanti praecessit, primogenitus sit, nec ne?

5) Caput enim Sandali inferius est situm, orificio uteri propius est quam caput infantis. Ergo si capite praevio

»*thoth vero exierunt viâ capitum suorum;* »*infans, in quo est vita, quum caput* »*exierit, natus habetur; et Sandalus* »*non prius* (natus habetur), *nisi exie*»*rit maxima pars ejus.*" nascantur, caput Sandali prius exire debet.

6) Ibi controversia quaedam exstat de femina gentili, quae infantem pepererat et postea Sandalum. Sed Judaïcae religioni se addixit interea, et quidem priusquam Sandalus veniebat. Nunc rogant: utrum talis femina ob illum Sandalum, qui verus non est infans, piaculum deberet ferre, nec ne?

7) Si situs est perversus, pedes infantis orificio uteri propiores sunt quam pedes Sandali.

8) Unus super alterum jacens (מצומצמים); tunc ea nihilominus accidere potuerant, quod nempe infans vel Sandalus primo exierit

Ex hac narratione satis confusâ, quantumpote a me illustratâ, sine dubio patet, Rabbinos uti omnes veteres credidisse infantem suâ vi exitum quaerere, idque ita ut capite membranas ovi disrumpente, exitum sibi pararet infans, — haud secus ac avium pulli testas ovi, quo continentur, frangant et ita ipsi viam sibi parent. Id tamen Rabbinis est proprium, quod, se opponentes omnibus priscis scriptoribus, mortuum infantem facilius in lucem edi censeant vivo: qua in opinione plurimi tamen recentiores artis periti hodie cum Rabbinis non conveniunt. Forsan verbis: »infans in quo est vita *se adhaeret* et non exit," illud volunt: infantem vivum ideo se ipsum retinere in utero, quia, — quemadmodum exeundi actio *ab infante* pendet, — ei nondum tempus exeundi est; dum vero infans mortuus, — cui nulla esse potest voluntas aut nisus exeundi, — sponte sua, h. e. pondere suo, ex aperto uteri ostio foras tendit, sive secundum Talmudistas „*dilabitur*" 28).

---

28) Singularis quidem est haec opinio Rabbinorum, in partu

§ 9.

*De cura infantis neonati.*

Supersunt adhuc quae tradiderunt Rabbini de cura infantis neonati. Primum quod faciendum censebant, infante nato, fuit ligatio et abscissio funiculi umbilicalis. Ideo inquiunt: *(Sabbath*, 128 *b. in Mischna)* »*et ligant* (etiam ipso die Sabbathi id est licitum) *um*»*bilicum.* R. J o s e dicit: *etiam abscindunt eum* (funiculum »umbilicalem)." His addunt Gemaristae: (*Ibid. fol.* 129 *b* ). »*Dixit* R a b b a B a r A b u h a; *dixit* R a b: *Assentiunt* »*sapientes* R. J o s e o, *quod ad umbilicum duorum in*»*fantum attinet, ut secent eum. Quaenam est ratio?* »*Quia attrahunt ambo.*"

Ligatio umbilicalis funiculi apud omnes veteres res summi momenti habebatur; imo officium obstetricum hac de re nominavit H i p p o c r a t e s ὀμφαλοτὸμιαν. 29). Auctore

---

gemellorum, unum infantem alterum premere ita ut exeat Sed nonne haec aliquomodo conveniunt cum illis quae ab auctore libri *de superfoetatione* (in initio) proferuntur: »cum mulier super»foetarit," sic scribit, »siquidem primus foetus in medio utero »contineatur, superfoetatum quoque *a priore expulsum* prolabitur. »Quod si in altero cornu conceptum contineat, ipsum postea partu »ejicit, minime vitalem postquam vitali foetu liberatus uterus »laxatus et humectus fuerit."

29) Etiam tempore Prophetae E z e c h i e l i s funiculum umbilicalem fuisse praecisum, eamque sectionem adeo necessariam tunc fuisse habitam, ut miser et derelictus crederetur infans, cui funiculus non fuerit praecisus, patet ex verbis E r e c h i e l i s, in Sacro Codice Cap. XVI. Comm. 3. sqq. »Dicens, sic ait »Dominus J e h o v a h urbe Jeruschalmaicorum: commercia tua, »adeoque geniturae tuae sunt e terra cenahanaeorum, quasi pater »tuus sit Emoraeus, et mater tua Cithea.

»Nam ad genituras tuas, quo die genitus fuisti, non fuerat prae-

tamen Sorano Ephesio, obstetrices antea funiculum umbilicalem dissolvere solebant clavo, calamo, cortice panis, aliove supellectili acuto; primus autem Soranus habetur 30), qui laudaverit ejus dissectionem scalpelli ope. (*Vid* Pinoff: *l. c. pag.* 58 *sq.*). Ex verbis autem Mischnicorum concluderem, jam Palaestinenses et Babylonicos scalpellum hunc in scopum adhibuisse, quoniam Mischnici utuntur verbo חותכן, a חתך = *secare, scindere, abscindere (instrumento acuto)*. Hujus rei fidem faciunt loci, in quibus sermo est de dissecandis quibusdam partibus, quibusque utuntur voce קרץ = *findere*, et quidem v. c. apice acuto grani hordei, non decorticati 31). Si haec conjectura vera est, exinde conclusio nasceretur Rabbinos cum Sorano, et fortasse jam ante eum, umbilicalem funiculum *scalpello dissecasse.*

Quae dicuntur de funiculo umbilicali gemellorum, nos quoque defendimus, aliis autem rationibus ducti quam quidem Rabbini, quorum verba, „*quia attrahunt ambo*" illam videntur profiteri sententiam, quod metus sc. adesset ne motu infantis nati, et motu infantis adhuc degentis in utero, funiculus dilaceretur et sic vita alterius infantis in perniciem vergat. Satis constat recentiorem experientiam jam diu Rabbinorum theoriam refutasse.

---

»cisus umbilicus tuus et aquis non eras lotus, quum adspexi te, »neque sale fueras conditus, nec fasciis eras fasciatus.'' et 9. seq.

30) Cf. Isensee: *de Geschiedenis van de Geneeskunde en hare hulpwetenschappen. Uitgegeven enz. door* Dr. L. Ali Cohen. *I Deel. 1 st. p.* 188. *Cf. quoque annotat. ad h. l.* Doct. Ali Cohen.

31) Sic quoque illo in loco Tractatus *Sabbath*, *fol.* 134 *a.*, ubi agitur de atresia ani, per operationem quamdam removendâ·

## § 10.

*Continuatio. Consilium practicum momentosum.*

Placentam nonnunquam Rabbini in usum vocabant ut infantem asphycticum in vitam revocarent. Tradunt enim: (*Sabbath*, 129 *b.*). »*Docuerunt Rabbini: ligant* »*umbilicum, et* R. Jose *dicit: etiam secant eum, et* »*abscondunt secundinas ut infans calescat.* R. Schi»meon ben Gamaliëlis *dixit: filiae regum abscon*»*dunt eas in pelvibus cum oleo; filiae divitum in spongiis* »*lanae* (lana pura, mundificata); *filiae pauperum in* »*gossypio.*" Hae cautelae adhibebantur ut secundinae calidae manerent; antea enim diximus Rabbinos usos fuisse oleo ad calorem promovendum 32). Idem etiam Abaje consuluit: »*Dixit mihi mater: illi infanti, qui* »*non respirat, afferant secundinas matris et illiniant* »*ei ipsi et respirabit*" (*Sabbath, fol.* 134 *a.*). Hoc consilium, nec non sequens, ut immittatur sc. placenta in oleo vel aliis rebus calefacientibus, nemo veterum, quantum scio, dedit. Recentiore tamen tempore Crantz 33), Smellie 34) aliique, et nostris diebus Cl. Busch et doct. Moser 35), Grenser 36), aliique infantem, qui

32) Infantem asphycticum ope placentae in vitam revocandum esse, jam Aristoteles quidem videtur monere, attamen verbis minus apertis quam Rabbini. »Saepe autem factum est," inquit Aristoteles, »ut videretur nasci infans mortuus; cum eo in»firmo in umbilicum, ac partes circumsitas efflueret sanguis prius»quam ligaretur. Verum peritae artis obstetrices exprimunt intro »ab umbilico. Ac statim infans, quasi prius exsanguis, rursus »revixerit." *Hist. animal. Lib. VII. cap. X.* (*Ed. Schneideri.*).

33) *Hebammenkunst, p* 48.

34) *A treatise on the theory and practice of midwifery. Book* 3. *Chap.* 2. *Sect.* 4. *T. I. p.* 228 *et* 229.

35) *L. c. Th. I.* 218 *sqq.*

36) In: Schmidt's *Encyklopadie der gesammten Medicin. Band V. Art: Scheintod der Neugeborenen. pag.* 416.

nascitur asphycticus ex asphyxiâ sic dicta nervosâ et suffocatoriâ, una cum placenta in balneum calidum immitti suadent; quo calor sustentetur et incitetur circulatio, ita ut idem fere faciant ac jam Talmudici fecerint.

Boni ominis porro a Talmudistis habetur, si infans statim post partum ejulet (*Jevammoth, fol.* 71 *b.*); si vero non ejulet et asphycticus nascatur, suadet Abaje, »*eum excitare in vanno, quo facto respirabit.*" (*Sabbath*, 134 *a.*).

Infans sanus, cui umbilicus fuerat praecisus, in balneo lavabatur, sale conspergebatur et tunc demum linteaminibus involvebatur (*Sabbath*, 129 *b.*). In Prolegomenis hujus Dissertationis jam monui, tempore Prophetae Ezechiël*is* eodem modo infantes tractatos fuisse 37).

§ 11.

*Puerperarum morbi.*

De morbosis affectionibus, quae puerperis supervenire possint, Rabbini nil fere tradiderunt. In *Jevammoth, fol.* 13 *a.* haec autem occurrunt: »ex doloribus partûs pili nonnunquam defluunt."

Morbus quidam abdominis puerperarum memoratur in *Avodah Sarah, fol.* 26 *a.*, quem morbum כורא vocant. Buxtorff (*Lexicon Talmudicum in voce pag.* 1018.) hoc verbo intellectum vult: *dolorem aut flatuositatem ventris post partum;* quocum convenit Raschi, dicens: »*est morbus mulieris parturientis et* »*refrigeratae in sella.*" [Species peritonitidis puerperalis cum meteorismo ?] Contra hunc morbum Rabbini laudant usum *Sicerae*, שכרא, speciei cerevisiae valde calidae et inebriantis, ex hordeo vel dactylis confectae.

---

37) Soranus quoque balnea tepida sale commixta commendat, Pinoff, *l. c p.* 60.

## B.

### DE PARTU ABNORMI.

### § 12.

Ex Talmudis argumento L. B. certe quidem intelliget, nequaquam hoc ex opere hauriri posse definitiones aut descriptiones omnium eorum, quae partum abnormem reddere soleant. Occurrunt modo in Talmude sparsae notae quae partum difficilem spectant, quaeque collectae ne ullo quidem modo vestigium efficiunt systematis cujusdam partuum abnormium.

*De Embryotomiâ.*

Inter omnes obstetricas operationes veteres Embryotomiam maxime celebraverunt. Sic auctor libri *de morbis mulierum* (Hippocr. *Opp.* F. *Sect. V.*) explicite eam tractat; sic quoque unicum caput Encyclopaediae Celsianae (*Libr. VII. C. XXXIX.*), quo de obstetricia arte agitur, plurima de Embryotomia vel Embryulcia habet; neque Soranus, neque Moschion in Dystokia ullam fere operationem memorant, exceptis versione et Embryotomiâ. In Talmude quoque nonnullae occurrunt notulae de Embryotomia. Infans, hac operatione in lucem editus, vocatur מחותך = *dissecatus*, cui verbo simul addunt מסירס = *perversus*. Cf. *Nidda, fol.* 28 *a.* Legimus enim ibi in Mischna: »*Si exierit dissecatus vel perversus*, — (tunc) *quando maxima* »*pars prodiit, est uti natus*" (tunc habetur quasi totum infantis corpus natum esset). Dissecatus infans autem simul perversus est, h. e. situm perversum habuit; nam dicunt Gemaristae (*Ib. fol.* 29 *a.*): »*Num exiit disse*»*catus vel perfectus, uterque perversus est.*" Jarchi »*perversum*" infantem illum habet, qui pedibus praeviis nascitur; videtur itaque iste commentator hac voce nil

aliud intelligere quam situm perversum simplicem 1).

Sed non semper situs perversus infantis Embryotomiam indicabat; quia ex alio loco (in *Oholoth Cap. VII. Mischna VI.*) patet, Rabbinos nonnunquam dissecasse etiam infantem qui *capite praevio nascebatur.* Statuunt enim Mischnici (loco mox citato) sequentia: »*Femina quae* »(si) *difficulter parit, dissecant foetum in ejus intes*- »*tinis, et faciunt exire eum membratim, quia vita ejus* »(matris) *praestat vitae illius* (foetûs. (Si) *Exiit ma*- »*xima pars* 2) (foetûs), *non attingunt eum* (foetum), *quia* »*non expellunt personam ob personam.*"

Ratio quare matris gratiâ foetum sacrificandum velint Rabbini, haec est: Est praeceptum Talmudicum, *Quemcumque qui viderit alium persequentem et intendentem illi occidere, omnibus viribus conari oportet, personam quae in periculo versatur a periculo imminente vindicare, imo etiam si id non aliter fieri possit nisi proprio periculo: nulla autem haberi licet ratio, quaenam sit persecutoris persona, et casus semper et*

---

1) Maimonides (*in suo comment. ad h. l.*) aliter haec explicat; et quidem ita: »sensus verborum est: si membra in cor- »pore (matris) fuerint dissecata, membraque ejus (foetus) absque »ullo ordine exeunt, v. g. exeunt manus et postea pedes et tan- »dem brachium, et hoc est *perversus* (מכורס); vel si exierint »secundum ordinem, hoc est מחותך = dissecatus.'' Sunt tamen haec verbis Talmudicorum plane contraria et crederem, errorem typhographicum hîc in culpa esse; quia verba *dissecatus* et *perversus* commutaverunt locum. — Baal Aruch vero ea habet, Caput III. *Nidda*, *fol.* 28: »exiit dissecatus vel perversus:'' explicatur:" exiit dissecatus, uti *creatus est:* caput seorsum, et »post illud humeri, pectus, dorsum, fémora, crura et pedes; ex- »plicatio τοῦ מסורס, *non secundum ordinem.*'' His ultimis tamen non addit, membra fuisse dissecata. *Aruch cum Musaf Haäruch. Ed. Amstel. Ao.* 415 = 1655. *fol.* 127 *a. col.* 2.

2) In *Sanhedrin*, 72 *b.* legitur: »*si caput exierit.*''

*omni sensu est idem.* Et quia Rabbini causam partûs difficilis non in matre, sed in ipso infante quaerunt, ideo infans ab iis habetur vitae matris persecutor, et infantem itaque matris gratiâ sacrificandum declarant. Hic enim si non sacrificaretur, matris mors sine ullo dubio instaret, et infans hinc sisteret causam hujus mortis. Haec omnia vero tantum valent, si caput infantis nondum exierit; nam si idem periculum adhuc instat post capitis exitum, scena plane mutatur; credunt nimirum tunc, causam sitam esse in ipsa matre, et dicunt: »*tunc ex coelo* »*eam* (matrem) *persequuntur.*" (Vid. *Sanhedrin, fol.* 72 *b.*). Hoc in casu infans vitae matris persecutor non amplius est; et quia »vitam alicujus personae ob vitam alterius expellere non licet," ideo non attingunt infantem 3).

3) Haec ita habet Maimonides in *Jad Hachasakah. Hilchoth* רוצח ושמירת נפש (*de homicida et de conservandâ personâ*). *Cap. I. Halach.* 9., quaeque certe ex loco illo *Sanhedrin*, *fol.* 72 *b.* optimo jure hausit. Dicit nempe ille Commentator eximius: »Et hoc etiam est praeceptum" quod non facias, »ne te »miseret personae (נפש) persecutoris. Hanc ob rem sapientes »monuerunt: licitum esse in femina gravida quae difficulter parit, »foetum dissecare in suis intestinis, sive ope *τοῦ Sam*, sive ope »manûs, quia ille (infans) est tanquam persequens eam (matrem) »et intendens eam necare. Et quando caput jam exiit, non »attingunt eum, quia non pellunt personam ob gratiam alterius. »Et ea est natura mundi," est sententia omnium hominum, infantem matris gratiâ esse necandum. —

Haec omnia tam explicite exposui, quia sequentibus pagellis illis verbis mihi erit opus. —

Interpretationem meam vocis נפש, certe non requirit ulteriorem defensionem, quippe quae sexcenties hoc sensu sumitur. Tali interpretatione omnes quoque auferuntur lites de quaestione: »num Rabbini *ideo* Embryotomiam licitam declarent in utero, »quia infantem in utero animatum *non* habuerunt?" Cf. *supra*, *Embryologia*, *pag.* 64 *sqq.*

Haec satis probant, ex mente Rabbinorum Embryulciam non prius instituendam esse, nisi summum jam adsit periculum, vitaque feminae nullo alio modo servari possit quam morte infantis.

Vagam et indeterminatam esse indicationem »femina quae difficulter parit," omnes mecum consentient; quia femina ex tot tantisque causis difficulter parere solet. Elucescit vero ex verbis Talmudicorum, Embryotomiam non esse contraindicatam etiamsi infans vivat; si autem caput vel maxima pars infantis nata est, hanc operationem (ob rationes supra expositas) licitam non habent. Quod ad sententiam, »foetum matris gratiâ esse inter»ficiendum," nostra quoque aetate illis feliciter raris casibus idem statuitur, quando foetûs vita inimice opposita est vitae matris; quia mater, haecque sola, habet jus in infantem: — et ipsa Embryotomia, — operatio adeo crudelis, quae meliore artis obstetriciae conditione, continuo evadit rarior, nec tamen umquam e catalogo licitarum operationum omnino poterit deleri, — nunc quoque habetur indicata, si, versione neglectâ, et foetu certissime mortuo vel ut mortuo habendo, matri auxilium meliori modo afferri nequeat.

Altera Rabbinorum sententia, quod, si caput infantis jam exierit, sed truncus ob magnum suum volumen caput sequi non possit, nullo casu Embryotomia sit instituenda, — haec doctrina nititur fundamentis pro parte veris. Tunc enim causa potest esse Ascites foetus, vel monstrositas duplex; et ambae hae aliam minusque horrendam requirunt agendi methodum: — nam hypertrophiae partis inferioris (qualis interdum occurrit apud vitulos, nostratibus cognita nomine *een steenbil)* quantum scio, inter foetus humanos casus nondum est observatus.

## § 13.

*Versio spontanea.*

Inter situs foetûs perversos prae aliis frequentior est ille humero praevio; et in hoc aliquando versio spontanea observatur, qua natura suâ sponte perversum situm infantis in meliorem commutat. Ad hoc phaenomenon Rabbini èt in homine èt in bestiis attenderunt. Ajunt nimirum in *Nidda*, *fol.* 28 *a.*: »*Dixit* R. Huna 4): *si infans* »*egredientem facit manum suam et retrahentem facit* »*eam, mater polluta est ob partum, uti scriptum est:* »»*et fuit in pariendo et porrexit manum*" (*Gen. XXXVIII.* »29). *Rogavit* R. Jehuda: (dum) *egredi fecit infans,* »*mater nondum de ulla re suspicatur?* R. Nachman »*dixit: secundum meam sententiam verba* R. Hunae »*ita explicare debemus: suspicanda quidem est* (de »instante partu); *dies vero purificationis non attribuun-* »*tur ei, nisi exierit maxima pars ejus* (infantis)." In Tractatu *Chulin*, *fol.* 68 *a.*, versionis spontaneae in bestiis mentio exstat; quae verba ita sonant: »*Bestia,* »*quae difficulter parit, et cujus foetus facit egredien-* »*tem manum suam et retrahentem facit eam, licitus* »*est* (foetus) *qui edatur.* (Si) *Exire fecit caput ejus,* »*licet retrahens fecerit* (illud), *est* (foetus) *uti natus.*"

Omnes veteres Medici silentio praetereunt versionem spontaneam, et per multa secula inobservatum remansit illud naturae spontaneum auxilium; donec Thomas Denman, obstetricator Anglicus peritissimus, publici juris fecit suas imprimis de Evolutione spontanea observationes 5).

---

4) Floruit ultimo demidio Seculo III. p. Chr. N. [circa Aum. 290 (Wolff)]. Praeses fuit Academiae Soranae, et dicitur octingentos discipulos habuisse.

5) *The London medical Journal. Vol. V.* 1785. Cl. Velpeau

Ab hoc inde tempore casus non defuerunt variarum formarum versionis spontaneae, ita quidem ut hodie tres ejus species assumant auctores. Ad quamnam speciem casus Talmudistarum sint referendi, certo statuere non possumus; sed loquuntur de membri praevii retractione, quae tunc modo locum habet, si jam rupta sint velamenta; crederem itaque, Rabbinicas observationes ad secundam speciem versionis spontaneae esse referendas; illam puto, qua pars initio praevia retrahatur et alia pars prodeat, quo facto partus magis accedit ad normam.

Capitis vero retractionem, quam saltem in bestiis contingere dicunt Talmudistae, dubitarem; licet doct. Haine casum communicet, quo infans caput jam natum in uterum retraxisset! (Casus ille citatur apud Hoebeke, *Verhandeling over de miskraam, p.* 81, qui illum habet fabulam.)

## § 14.

*Versio artificialis.*

Versionis artificialis notitiae in Talmude plane quidem abesse videntur: attamen duobus locis aliquid de versionis negotio nos posse suspicari non plane negarem: — in Tractatu *Kidduschin, fol.* 24 *b.* enim haec leguntur: »R. Eleazar *dixit: porrexit dominus »manum suam in intestina servae suae, et coecavit »foetum qui est in utero ejus; liber est. Quare? Quia »lex dixit: „et corrupit," donec intendat corrumpere.*" Addit huic loco commentator Jarchi: dominum hanc ob rem porrigere manum in uterum *ut educeret infantem.* Silent quidem ipsi Talmudistae de causa,

illum fuisse primum negavit, probavitque, Peu et de la Motte in suis operibus observationes aliquas communicasse, quae revera evolutionem spontaneam arguunt

quare dominus id fecerit; crederem tamen versionis negotium saltem in caput, iis non plane ignotum fuisse, quum ex supra dictis abunde pateat, Rabbinos praecipue Graecorum Medicorum opera haud ignorasse. — Alter locus, quem huc referre vellem, aliquo sensu tantum suspicionem posset movere de versionis auxilio. Legimus nimirum in Tractatû *Chulin*, *fol.* 71 *a.* (Mischna): „*Mulier cujus infans mortuus est* »*in ejus intestinis; et porrexit* (ופשטה) *obstetrix manum* »*suam et attigit eum* (infantem): *obstetrix polluta est* »*pollutione septem dierum, et femina pura est usque ad* »*exitum infantis.*" »Manus introductus in uterum," suspicionem quamdam movere posset forsan versionem hic posse intelligi; sed quia neque Mischnae, nec subsequentis Gemarae verba hanc suspicionem corroborant, et ipse textus aperte agit de „infante mortuo," ideo concluderem, hoc loco tantum esse sermonem de „*Extractione foetûs mortui;*" — id quod eo magis opinarer, quia Rabbini, exeundi actum a *foetu* ipso derivantes, exinde necessario statuebant infanti mortuo nullam hunc in actum esse vim, ideoque eum *manu* esse extrahendum.

## § 15.

*De partu sine sanguine.*

Inter signa diagnostica aperturae uteri, quorum Rabbini mentionem faciunt, venit quoque Metrorrhagia, quam tamen non semper locum habere censent. Disputant enim de quaestione (*Nidda, fol.* 38 *b.*): „num „*apertura sepulcri* (uteri) *adesse queat sine sanguine*" (sine haemorrhagia)? E quibus conclusio est: „*potest* „*adesse apertura sepulcri sine sanguine.*" Imo in *Nidda*

*„fol.* 42. *b.* *„partum siccum"* memorant, qui prorsus absque ullâ haemorrhagiâ absolvitur. (Cf. Raschi *ad h. `l.*).

Istius phaenomeni apud antiquos nulla exstare videtur mentio, sed cum experientia hodierna observationes Talmudistarum conveniunt: quemadmodum quoque praeceptor aestumatissimus Cl. de la Faille in praxi sua plures tales observavit casus et nobiscum in lectionibus suis communicavit, quibus ne guttula quidem sanguinis erat fusa: nihilominus tamen puerperium in plurimis, non tamen omnibus, sine noxa absolvebatur.

## § 16.

*De placentae retentione.*

Inter illa quae periodum quintam partûs abnormem feminaeque periculosam reddere valeant, tam apud veteres quam apud recentiores frequentissime fit mentio de *Retentione* placentae. Haec Retentio per multos dies continuare potest, uti jam Rabbini testantur in *Nidda, fol.* 26 *b.*, quo loco simul nonnulla adnotantur de partu gemellorum. Sic enim ibi legitur: *Dixit* R. „Jehuda: *dixit* Rab: *per omnes tres dies priores „attribuunt secundinas infanti, et abhinc eo tempore „et deinceps suspicantur alium* (adhuc) *infantem* (ad„esse). *Dixit ei: num* Rab *talia dixit! Dixit enim* „Rab: *infans nullo modo moratur post socium suum. „Tacuit. Sed, — inquit, — forsan illic est sermo de „abortu, et hîc de filio stabili* (infante perfecto novem „mensium). *Dixit ei: dixisti, te credere* Rab*um ita „judicare? explicite inquit* Rab *et quidem ita: aborta „erat abortum, et postea aborta erat secundinas: per „omnes tres dies attribuunt secundinas infanti* (nunc

„nato), *hinc et deinceps suspicantur alterum infantem.*
„*Peperit et postea aborta erat secundinas, etiam usque*
„*ad decem dies non cogitant de alio infante.*"

Iste locus, qui certe non plane immunis est quadam confusione, huc redit: R. Jehuda dixit ex nomine Rab*i*, »si per tres priores dies post partum, placenta „non expellitur, tunc cogitandum est gemellos adesse „et alterum infantem nondum nasciturum." Alter Rabbinus, discipulus — uti videtur — Rab*i*, objicit: „Rab „ea non dixit, quia opinabatur alterum infantem mox „insequi priorem, et ergo, si placenta per tres dies fuerit „retenta, ex ejus opinione alium infantem suspicari nemo „potest," His quum nihil respondit R. Jehuda, prior ille explicationem ipse adjecit dixitque: „forsan Rab „loquitur in primo casu de abortu; et si ille locum habet, „et placenta intra tres dies non venit, tunc de alio „infante adhuc in utero est cogitandum. In perfecti in- „fantis partu autem alter infans semper priorem mox „insequitur, et ergo, si tali casu placentae expulsio „retardatur, de alio infante non est cogitandum, quia „talis jam dudum in lucem prodiisset." His respondet R. Jehuda: „revera ita dixit Rab!"

Haec autem, secundum hodiernam scientiam sunt vera mixta falsis. Agens de abortu, errorem Rab*i* in hanc rem jam demonstravi; sed in praesente quoque casu errores exstant. Quod in partu gemellorum secundus infans priorem saepe brevi insequatur, concedo quidem, sed in multis casibus illud tamen ut regula non valet. Sunt enim casus, et profecto non rari, quibus alter infans alterum insequitur post duos tresve dies; neque desunt observationes, secundum infantem non prius fuisse natum quam die 17° post priorem; imo 42 diebus postea. (Busch *und*

Moser, *l. c. IV. p.* 658.). Si tali in casu alterius infantis expulsio tamdiu post priorem natum retardaretur, Rab certe quam maxime errasset falsumque tulisset judicium; et feminam puram declaravisset quae ex Rabbinorum doctrina deberet declarari polluta.

Memorant vero casus placentae diu in utero retentae, et quidem ita: (*Nidda, fol.* 27 *a.*): *Dixit* Rabba „Bar Schilaj: *dixit* R. Mathna: Schemuël „*dixit: Factum est, ut attribuerint secundinas infanti* „*ad decem dies*" infans jam decem dies natus fuit, et sic porro *(Ib. Ib.)* : Rabba Bar Bar Chana *dixit:* „*factum est, ut attribuerint secundinas infanti usque ad* „*dies viginti tres.* R. Joseph *dixit: usque ad dies* „*viginti quatuor*" 7).

---

6) Inter veteres Medicos, auctor libri pseudo-Hippocratici: *de morbis mulierum*, de diuturna secundinarum retentione haec dicit (Hipp. *Opp.* F. *Sect. V. p.* 173): »Quod si secundae »exierint, mulier etiam sanescit. Plerumque vero putrescunt, »sexto tamen aut septimo die, aut etiam posterius exeunt." Vidimus vero Rabbinos diuturniorem retentionem memorantes; neque haec mira videantur, quum nulla fere auxilia activa, ut ita dicam, veteres in casu retentionis placentae instituerint: — potius remedia interna, valde absurda, superstitiosa et fastidiosa commendaverunt. Attamen diu ante Mischnam confectam, Celsus (*de Med. L. VII. c.* 29.) et postea Soranus (Cf. Pinoff, *Diss. laud. p.* 36 *sqq.*) artificium manuale, hoc in casu adhibendum descripserunt, quod in multis omnino a veteriore curandi methodo distat, multaque in eo invenimus vestigia methodi agendi hodiernae. In Talmude nihil horum invenientes, exinde concludimus, Talmudistas hanc doctrinam verosimiliter sive ignorasse, sive rejecisse.

## § 17.

*Num foetus possit vivere in utero matris mortuae.*

Mortem matris frequentem causam sistere obitûs infantis, omnibus temporibus Medicis fuit notum. Ita jam vidimus Rabbinos dicentes „morte matris abortum provocari." Hoc principio ducti, si gravidam capitis damnarent, sequentia praecepta tradiderunt: (*Eirchin, fol 7 a. Mischna*): „*Mulier, quae ut* „*occidatur exit, non exspectant donec* (haec) *peperit;* „*mulier, quae sedet in sella, exspectant, donec pepe-* „*rit.*" Addunt in Gemara: *Dixit* R. Jehuda, „*dixit* Schemuël: *mulier, quae ut occidatur exit,* „*verberant eam ad locum graviditatis, ut infans primo* „*moriatur, ne veniant ad aliquid turpe.*" His ultimis verbis addit Jarchi: „nam si infans vivat, post mortem „matris exit, et id est aliquid turpe."

Morti matris non semper antecedere mortem foetûs, asserunt in Tractatu *Nidda, fol. 44 a.*, ubi de successione hereditatis est sermo; „*Dixit* R. Scheschet: „*hereditatem accipit* 1) *ex bonis matris,* „*ut faciat accipere hereditatem a fratre* „*patris ejus. Sed solummodo* 2) *de in-* „*fante unius diei, sed de foetu non ita* 3). „*Quare? quia ille primus moritur, et* „*filius hereditatem non accipit a matre* „*in sepulcro* 4), *ut filius patris sit heres.* „*Verum num illud certum est?* 5) *Ex-* „*stat enim factum, quo foetus se moverit* 6) „*tribus motibus* 7). *Dixit* Mar *filius* „R. Aschei: *id est* 8) *caudae* (abs- „cissae) *lacertae adinstar, quae etiam* „*se movet.*"

1) Infans unius diei.

2) Haec valent.

3) I. e. si femina gravida moriatur, infans ejus adhuc in utero non est in potestate ut haeredem instituat alium.

4) In utero.

5) Infantem prius mori.

6) In utero matris emortuae.

7) Postquam mater prius obiit.

8) Hi motus infantis in utero matris emortuae.

Plurimis in casibus, matre emortua foetus quoque perit; et in quaestionibus sic exortis medico-forensibus diu secuti sunt Judices jurisprudentiam concilii Wetzlariensis, statuentis: „in casu dubio ad matris mortem „praegressam esse concludendum" 7). Sed non desunt observationes infantum, qui, mortua matre, superstites manserunt 8), imo talium, qui e matre mortua solis viribus uteri, vivi expellebantur 9). Hanc ob rem quoque praecipiunt Talmudici, „si femina capitis damnetur (quae „nondum sedet in sella), primo ejus foetum interire oportet."

Pulchre certe rationem explicant, quae exstat inter vitam matris illamque foetûs; neque naturae omnino contraria sunt, quae de caudâ lacertae abscissâ dicunt.

Negant igitur, foetum semper simul cum matre obire; — sed de his in sequente capite, quo de Lege Regia sermo erit, fusius agam. Addunt loco citato in *Eirchin*. „si mater ex morbo obiit, infans primo moritur; „*infan*-„*tem enim*" — dicunt — „*in quo parca est vita, prius in*-„*trat guttula Angeli mortis, et dissecat ei signa* 10); *sed* „*si occidatur illa, prius moritur* (femina)," — si mater

---

7) Valentin: *Pandect. med. legal. I.* 1. *casus* 1.

8) Cf Gardien in *Dictionn. des sciences médicales. XVII. p.* 422. Refert casum, quo infantem vivum 48 horas post mortem matris, ex utero extraxerant Medici; et in alio casu 24 horas post mortem matris sectione caesareâ vivus infans in lucem edebatur.

9) Plures tales casus collectos reperies in J. P. Frank: *Genees-kundige staatsregeling. Deel. I. p.* 456 *sqq.* Imprimis hic conf. doct. Maizier: *de partu post matris mortem spontaneo*. *Berolini*, 1835.

10) Loquendi modus a mactatione bestiarum mundarum derivatus, in quâ partes quaedam (signa) persecandae erant, ut talis bestia rite mactata pronuntietur. Signa haec erant v. g. oesophagus, larynx, cet. partes ergo vitae sustentandae omnino necessariae.

ex violentia externa perit, illa prius moritur foetu — quod judicium ab omni parte fere hodie etiam valet.

§ 18.

*De dissolutione infantis in utero.*

Infans in utero emortuus nonnunquam plane dissolvitur et membratim in lucem editur. Sequentia hoc de argumento in *Niddah*, *fol.* 28 *a.* offenduntur: *„Docuerunt Rabbini: quae aboritur manum incisam* (יד חתוכה) 1) *et pedem incisum* 2), *„mater ejus* (manus vel pedis) *polluta „est ob partum, et non suspicandum „num fortasse ex corpore obturato* 3) *„venerit.* R. Chisda, *et* Rabba, *„filius* R Hunna*e*, *ambo dicunt: non „dentur ei dies purificationis. Quaenam est ratio? Quia partus jam e „longinquo est."* Infans enim jam dudum membratim a femina discesserat, et jam praeterierunt ejus dies purificationis; et nescimus itaque, a quonam puncto incipienda esset horum dierum enumeratio. Revera nonnunquam tale quid accidit; et vir doct. Montgomerij 11) casum se observasse narrat, quo foetus mense VII° obiit; mulier vero, finito mense IX°, nihil aliud ex utero edidit nisi humorem plane putridum et valde foetidum, nullum autem infantem: sed per duos annos, quibus femina illa dein vixit, nonnunquam ossa exierunt. In graviditate extrauterina ex partibus externis abdominis, vel ex ano interdum membra foetûs dissoluti in lucem

1) Manus incisa et 2) Pes incisus: Cf. „de incisione manuum" cet., quae p. 45 et 51 sunt allata, quo loco certe hac voce intelligenda est conformatio manus in digitos cet. 3) Corpus obturatum: Cf. de eo p. 71.

11) *Die Lehre von den Zeichen, Erscheinungen und Dauer der menschlichen Schwangerschaft, aus dem Englischen von* J. Schwann. *Bonn* 1839. *pag.* 357.

prodeunt. Imo nonnunquam membra foetûs in utero videntur separari, quod phaenomenon nomine venit „*Amputationis spontaneae foetûs*" 12). Forsan Rabbini hujus phaenomeni mentionem fecerunt, quum dicant „et non suspicandum, num forsan a corpore obturato venerit," cui scilicet pedes desunt. Certam quidem opinionem proferre non auderem, sed conjecturam propositam tacere nolui.

§ 19.

*Vagitus uterinus.*

Ad partum abnormem, sequens quoque pertinet narratiuncula, quae obvenit in *Nidda, fol.* 42 *b.* „....... *Ali-* „*quis, qui venit coram* Rabba, *dixit ei: num mihi* „*licet infantem in Sabbatho circumcidere? Dixit* Rabba „*ei: omnino! Postquam exierat, dixit* Rabba: *num* „*quidem cogitandum est virum illum ignorare, circum-* „*cisionem in Sabbatho esse licitam? Secutus est eum* „*et dixit ei: quomodo factum est? Ita factum est —* „*inquit ille — audivi infantem ejulantem* (רצויץ) „*versus vesperam ante Sabbathum, et non* „*prius natus est quam die Sabbatho* (die inse- „quente). *Dixit* Rabba *ei: ille infans caput* „*suum jam extra vestibulum fecerat egredi,* „*et* (circumcisio in nostro casu) *est ergo circumcisio in-* „*tempestiva, et ob omnes circumcisiones intempestivas* „*non violant Sabbathum!*"

Sine ullo dubio hic sermo est de *Vagitu* qui dicitur *uterino*, quod phaenomenon nostris diebus saepissime sane observatum, ex rationibus vero theoreticis antea praesertim ansam dedit magnae opinionum divaricationi.

---

12) Tales observationes communicarunt: Montgomerij in *London. med. and phys. Journal Aug.* 1832; et Schwabe in Siebold's *Journal. cet. B. XVIII. St.* 2 aliique

In citato loco Talmudis R a b b a opinatur, *illum vagitum, tum modo produci, si caput infantis jam haereat extra vestibulum*, ergo jam in ipsa vagina; affiirmat igitur idem cum plurimis hodiernis. Si vagitus uterinus obtinet, ita tantummodo oriri potest; et errant qui statuant, foetum nonnunquam in ipso Amnio vagire: — spiritum ergo duceret foetus in spatio undique clauso, aërisque accessu prorsus impedito! Vagitus uterinus certe quidem negari nequit; sed cum Cl. H e n k e 18) eum solummodo fieri posse crederem disruptis jam velamentis, in partu qui non cito absolvitur, et in quo caput infantis ita est collocatum, ut aëri atmosphaerico liber aditus pateat ad laryngem, igitur in situ infantis facie praeviâ.

§ 20.

*Partus serotinus*

Non solum exsistentia vagitûs uterini dubia movit, sed imo Partum serotinum cognoverunt Rabbini, de quo adhuc hodie lis est inter eruditos. Supra notavimus, ex mente etiam Talmudicorum graviditatem vulgo absolvi intra temporis spatium novem mensium et aliquot dierum: — memorant tamen casum graviditatis, quae multo diutius duravit, in Tractatu *Jevammoth*, *fol.* 80 *b.*: »*Accidit* »R. T o s p h o a *e*, *ut femina, cujus maritus profectus* »*erat ad oras maritimas, retardaretur* (parere) *ad men-* »*ses duodecim*, *et* (R. T o s p h o a h) *eam feminam cas-* »*tam declarabat.* (Judicavit R. T o s p h o a h) *uti* R a b b i, »*qui dixit: potest infans diutius apud matrem manere;* »*et quia* R. S c h i m e o n, *filius* R. G a m a l i ë l *is*, *etiam* »*judicat, morari* (in utero) *quidem posse* (infantem), »R. T o s p h o a h *secundum plurimorum consensum egit.*"

---

13) *Handbuch der gerichtlichen Medicin*, *Ed Xa.* § 528.

Auctor vero libri de *Natura pueri* partum serotinum in dubium vocat 14): licet ille libri pseudo-Hippocratici de *Diaeta* 15), uti et Aristoteles 16) et Plinius 17) eum non negent. Nonnulli, qui recentiore tempore hac de materia egerunt, illique fidem habent, graviditatem multo diuturniorem quam quidem veteres agnoscunt 18).

*De infante diu morante in vestibulo.*

Denique hoc loco memorare oportet discussionem quamdam valde confusam de »infante diu morante in vestibulo," qui casus in *Jevammoth, fol.* 71 *b.* sequentem controversiam excitavit. »A quonam die incipiunt 7 dies »numerari, quibus absolutis infantem circumcidere licet? »num a die illo quo natus est, vel a die illo quo in»fans a morbo convaluit?" Conclusio est: »dies, quo

---

14) »At vero, si quae ultra decem menses, utero gestare »sibi visae sunt (quod jam saepe audivi) eae hoc, quem referam »modo fallunt." (Hipp. *Opp.* F. *Sect. III. p.* 26). Explicatur, talibus mulieribus menstrua fuisse suppressa, et flatus in utero adfuisse.

15) »Non autem in aequali temporis spatio omnes foetus exor»nantur, sed alii citius alii tardius." *Lib. I. pag.* 19.

16) »Reliqua animantia omnia uno modo partum perficiunt, »unus enim omnibus praefixus est partus terminus; soli vero »homini, ex animantium numero multi. Etenim et septimestres »et nonimestres eduntur infantes et ut plurimum decimestres: »quaedam vero undecimo quoque mense pariunt." *Hist. animal. Lib. VII. C. IV.*

17) »Massurius auctor est: L. Papyrium Praetorem, secundo »haerede lege agente, bonorum possessionem, contra eum de»disse, cum mater partum se XIII mensibus diceret tulisse, quo»niam nullum certum tempus pariendi statutum videretur." *Hist. Natural. Lib. VII. C.* 5.

18) Conf. H. M. Scrinerius. *Spec. med. for. inaug. de partu serotino. Groningae* 1841.

»convalescit, habetur dies nativitatis." Casus dein proponuntur, in quibus circumcisio possit retardari, quando infans neonatus morbo fuit correptus. Inter hos »R. Scharbia *dixit: V. g. quando »infans caput suum extra vestibulum »fecit egredi* 1). *Sed num ita vivere »potest? Didicimus enim (Nidda, fol.* »30 *a): »si exit in aërem mundi, clau»»sum aperitur et apertum clauditur; »»si id non accidat, in vita superesse »»non posset, ne horâ unâ quidem." »Agitur tamen hic ita: quod morbus »aegrum nutriat. Sed cujus morbus? »Si opinaremur morbum infantis, tunc »tamen debet exspectare* VII *dies* 2). *»Sed minime! volumus morbum matris. »Ea modo valent* 3), *quando non eju»laverat;sed quum quidem ejulaverit*19), *»in vita superesse potest."*

1) Et jam praeterierunt dies septem, antequam ceterum corpus sequebatur. Haec ex antecedentibus patent.

2) Antequam circumcidatur. Nam dies quo convalescit, habetur dies quo natus est.

3) Quae occurrunt loco citato in Nidda: infantem moriturum si aperta non claudantur.

Casum illum certe excogitaverunt Rabbini, sed non observaverunt eum: — insuper autem naturae non respondet: caput enim per septem dies jam haesisse in vagina, et reliquum corpus in utero, et nihilominus infantem vivum nasci, — haec sanae doctrinae sunt contraria. Singularis est explicatio, hujus diuturnae morae causam in ipso infante quaerendi; quae quidem opinio ulteriorem refutationem non postulat. Difficultatem partûs a morbo quodam *matris* pendere, alii statuunt: — et nos,

---

19) Rabbini Gallici in *Tosaphoth* (ad Loc. citat.) loco מעוי (*ejulavit*), legunt מעורה = *adnexus*; sensus ergo tunc est: *si ope funiculi umbilicalis utero materno adhuc adhaeret.*

rogati quisnam potuerit esse morbus matris, qui talia efficeret? responderemus: fortasse fuit *Trismus uteri:* — iste morbus, semper vehementissimus, quavis periodo partûs oboriri potest, imo si caput jam sit in vagina et fere in exitu; sed talibus in casibus mors infantis extra omne dubium est.

## CAPUT IV.

## DE INFANTE EX MATRIS VENTRE EXCISO.

### § 1.

*De Legis Regiae applicatione apud Talmudistas.*

Rabbinos statuisse, quod emortuâ matre infans non semper pereat, pag. 152 vidimus, et simul Talmudicos casum afferentes, quo infans se movit, postquam mater e vita decesserat; hujus rei veritas jam diu ante Rabbinos cognita fuit, ita ut Rex Numa Pompilius legem tulisse dicatur, quae impediret quominus infans, adhuc vivus in utero matris emortuae, simul cum matre sepeliretur 1). Hanc legem, nomine *Legis Regiae* celebratam, ad nostra tempora omnibus populis excultis fuisse receptam, notissimum est. Neque Rabbini illam legem salutarem silentio opprimunt: legimus enim in *Eirchin, fol. 7 a.:* »*Dixit* R. Nachman: *dixit* Schemuël: *femina, si sedet in sella et moritur in*

---

1) Lex illa ita sonat: »*Mulier. quae. praegnans. mortua. ne.* »*humator. antequam. partus. ei. excidatur. quei. secus. faxit. spei.* »*animantis. cum. gravida. occisae. reus. estod.*" (Marcellus, Leg. 2. II. *De mortuo inferendo et de sepulchro aedificando; Lib. XI. Tit.* 8. *Digestor.*) — Cf. Plinius: *Hist. Natural. Lib. VII. C.* 9.

»*Sabbatho, afferunt cultrum et findunt ei abdomen et* »*extrahunt infantem.*" Hanc operationem ex mente Rabbinorum non diu post mortem feminae esse instituendam, exinde patet, quod operationem non remittendam volunt usque ad Sabbathi finem, sed violari sinunt propter rem adeo dubiam Sabbathum, et afferunt cultrum ex loco publico in locum privatum, quod aliter licitum non est. Nam etiamsi *dubium* sit de alicujus vita, violant Sabbathum; et licet hoc in casu major adsit suspicio obitûs foetûs quam ejus vitae superstitis, findunt tamen abdomen matris et extrahunt foetum et violant Sabbathum. (Cf. Maimon. *Hilch. Sabbath. C. V. Hal.* 15.). Neque hodie alia profertur doctrina, et auctores unanimi consensu statuunt, ilico post mortem instituendam esse Sectionem caesaream in gravidam certe mortúam.

§ 2.

*Introductio quaestionis: Num Sectio caesarea in vivas Talmudistis cognita fuerit?*

Nullum itaque superest dubium, quin Rabbini Sectionem Caesaream *in gravidas mortuas* noverint et instituerint. Multo tamen gravior est quaestio, num in Talmude occurrant vestigia, quibus constat Rabbinos novisse et instituisse *Sectionem caesaream in vivam matrem*? Hanc quaestionem primus movit et *confirmavit* vir doct. Mansfeld, Medicus Brunsvicensis, in suo opusculo: *Ueber das Alter des Bauch- und Gebärmutterschnitts an Lebenden; etc. Braunschweig* 1824. *8vo.* 24 *pp.*

Tanta huic rei fuit virorum doctorum sympathia, ut brevi altera exigeretur editio opusculi. Omnes fere historici omnino erant persuasi, quod ex Talmude antiquitas Sectionis caesareae *in vivam* multo pateret majorem, quam vulgo habebatur. Doct. L Fulda autem in

diario Cl. von Siebold 2), anni 1826, omnia argumenta doct. Mansfeld refutare conatus est, et quidem tali successu, ut abhinc illo tempore omnes obstetricatores dictam opinionem iterum in dubium vocarent et argumentis Doct. Mansfeld omnem fere fidem abnegare coeperint. — Ad meum argumentum sane in specie pertinet hanc in rem inquirere, ut, si possim, illam dirimam quaestionem, duce veritate neutrique parti addictus

Haec ut fiant, 1) afferam et explicabo loca, in quibus est sermo de infante, qui per hanc viam abnormem natus fuit, et de matre, cui tale quid accidit; et his absolutis, 2) argumenta èt Doct. Mansfeld èt Fuldae indagabo.

§ 3.

*Inquiritur quid sit: »exire e latere.''*

Varia jura peculiaria tribuerunt Talmudistae infanti, qui fuit »יוצא דופן'' = Jotze Dofan, — quod verbotenus ita interpretandum: »*qui e latere exit,*'' — sc. e latere matris. Haec verba: »*qui e latere exit,*'' frequentissime occurrunt in Talmude; hisque praesertim et fere solis nititur doctrina de Sectione caesarea in vivam apud Talmudistas. Videamus itaque quid voluerint Rabbini hisce verbis.

*»Infans qui e latere exit,'' non exit »e loco quo concepit mater.''*

Hac denominatione Rabbini partum abnormen revera intellexisse, e multis locis abunde patet, v. g. ex Tractatu *Nidda*, *fol.* 40 *a.*, *Bechoroth*, *fol.* 19 *a.* aliisque. In *Nidda*, *fol.* 40 *a.* nempe Doctores Mischnici statuerunt: »*Qui e latere exit, non sedent propter*

1) *Beytrag zur Geschichte des Kaiserschnitts, mit besondere Beziehung auf die Schrift des Herrn* Mansfeld; *von* Dr. L. Fulda *in Offenbach. in:* A. E. von Siebold's *Journal für Geburtshülfe etc. Bd. VI. St. I. p.* 1-33. (*Frankfurt a/m.* 1826).

»*illum, dies impuritatis et dies puritatis, et non obli-*
»*gantur ob eum ad sacrificium.*" In Gemara hujus Mischnae Rabbini pro sua sententia ita ratiocinantur: »Dixit »Lex (*Levit. XV.* 2.): »femina quae concepit et peperit »»filium," talis mulier debet numerare dies impuritatis »et dies puritatis, quibus absolutis, sacrificium debet »ferre; ergo haec omnia feminae sunt facienda, quae »peperit *e loco* [sic dicunt] *quo concepit.* Sed quando »infans *e latere exiit*, mulier *non* peperit e loco quo »concepit; ergo libera est omnium illorum, quae mulieris »sunt naturaliter parturientis." — Eandem proferunt opinionem in Tractatu *Kerithoth, fol.* 7 *b*, ubi agunt Mischnici de feminis, quae non erant obligatae ad ferendum sacrificium; inter quas etiam recipiunt illam, cujus infans »*e latere exiit.*" Ratio hujus sententiae hoc quoque in loco est: »donec peperit e loco quo concepit: (עד שתלד ממקום שמזרעת).

§ 4.

*»Qui e latere exit," non nascitur e Vagina.*

Infans, *qui e latere exit*, per orificium uteri non transit: id elucet, quod ad bestias mundas, ex Mischna in Tractatu *Bechoroth, fol.* 19 *a.*, ubi sequentia leguntur. »*Qui e latere exit et qui post eum venit:* R. »T a r f o n *dicit: ambo pascant donec oriatur in iis* »*defectum et edantur a dominis ob eorum defectus.* »R. A k i b a *dicit: uterque non est primogenitus: prior* »(non). *quia uterum non aperuit, et alter* (non), »*quia prior ei praecessit*" 3). De foetu humano idem

3) R. Akiba et R. Tarfon aequales erant: floruerunt ultimo dimidio seculi primi p. Chr. et initio Seculi II. (Obiit

statuunt in eodem Tractatu *fol.* 47 *b. in Mischna: „qui »exit e latere, et qui post eum venit, uterque non est »primogenitus, nec pro hereditate nec pro sacerdote. »R.* Schimeon *dicit: prior pro hereditate, et alter »pro quinque Selaïm.*" Ratio est iterum eadem; quia prior *non aperuit uterum*, et alter post priorem venit. Ex hisce aperte evictum videtur, voce illa יוצא דופן *(Jotze Dofan)*, „qui e latere exit," Rabbinos infantem designare, qui *non* e *vagina* nascitur sed *trans latus* (דופן) corporis materni, quod certe nullum aliud esse potest quam latus abdominis. Ergo *Jotze Dofan est infans qui exit e latere abdominis matris.*

## § 5.

*Infans exit e latere matris quoque viventis et dein adhuc superstitis.*

Hac quaestione sublatâ, et posito modo quo ejusmodi infans in lucem prodeat, alteras duas ponemus quaestiones: nempe 1°. Num revera ex Talmude pateat, matrem, cujus infans fuit *Jotze Dofan*, durante illo partu vixisse et illi partui superstitem mansisse? — 2°. Num ipse *Jotze Dofan* vivus nascatur?

Quod ad priorem quaestionem: statuunt Rabbini (uti dictum est ad § 3.) feminam cujus infans fuit *Jotze Dofan*, non obligatam esse ad ferendum sacrificium, nec

---

R. Akiba Ao 135 p. Chr. — Ex lege Mosaica (*Exod.* III. 12. XXXIV. 19. 20. *Num.* XVIII. 15. 16.) omnes primogeniti »quicunque uterum aperit" tam inter homines quam inter bruta, Deo erant sacrati. Primogeniti humani quinque siclis debebant redimi, quando mensem unum fuerint nati; primogeniti bestiarum mundarum ut sacrificium Deo offerendi erant; et primogeniti immundarum redimendi vel necandi.

eam oportere numerare dies puritatis vel impuritatis 4). Si mater talem partum non supervixisset, talia praecepta Rabbini non statuissent!

His autem majorem adjungunt fidem illa quae obveniunt in *Bechoroth*, *fol. 47 b.* (l. c.); si quidem hoc loco loquuntur de *Jotze Dofan*, et de infante *qui post eum venit.* Mater ergo partui *τοῦ Jotze Dofan* supervixi, et sequente partu enixa est alterum infantem 5).

Hisce omnibus simul sumtis, nemo certe dubitabit, quin prorsus evictum sit e Talmude, *mulierem, cujus infans e latere exiit, huic partui, aliquando saltem, supervixisse* 6).

## § 6.

*Jotze Dofan ipse quoque vivus nascitur.*

Quod ad alteram quaestionem, quae vitam spectat ipsius infantis: Rabbini, uti diximus, tali infanti abnegant jura primogeniti, pro facultate hereditatem acci-

---

4) *Nidda*, 40 *a. Mischna*: »*qui e latere exit: non sedent propter illum dies impuritatis et dies puritatis, et non obligantur ob* »*eum ad sacrificium.*'' — *Kerithoth* 7 *a. Mischna.* »*Et eae sunt* »*quae non ferunt sacrificium .......... qui e latere exiit.*''

5) Dubia, quibus haec interpretatio premitur refutata invenies sequentibus.

6) Baal Aruch vero, Raschii aequalis, *Jotze Dofan* sequenti modo interpretatur: citat 1) locos nonnullos, et dein ita pergit: »Explicatur: si femina fuerit gravida et *mortua sit*, »et infans vivat, findunt feminae abdomen et exit (infans).'' Rem etiam obiter intuenti mox patebit, Baal Aruch maxime errasse, dicentem »feminam cujus abdomen fuit fissum, ante »operationem jam fuisse mortuam,'' id quod mirandum, quia nonnisi illa loca affert, quae procul omni dubio probant, feminam etiam *post* operationem vitam servasse, [illegible]

piendi (*Bechoroth*, 47 *a.* ; — nonnulli eorum porro sta, tuunt (*Sabbath*, 135 *a.*), circumcisionem tali infanti *mox* esse instituendam, alii contrariam fovent sententiam. Ex iis jam concludere possumus, aliquando ipsum „Jotze Dofan" vivum nasci; quibus accedunt verba sequentia, quae *Menachoth* (*fol.* 6 *a.*) dicuntur: „יוצא דופן יוכיח שלא עשה בו מקריב״ן כקריב״ן: „*Qui* (homo) *e latere exit, testa-* „*bitur, sacrificantes* (sacerdotes) *non esse uti sacrifi-* „*canda* (bestias)," — i. e. non licet sacrificare bestiae mundae pullum, qui e latere exierit; sacerdoti vero qui e latere exierit (qui fuit *Jotze Dofan*), licet cultui prae-esse. — Et sic igitur affirmare quoque debemus, Talmud nobis praecepta tradidisse, e quibus luce clarius constat *infantem qui e latere exit, vivum nasci posse, et aliquando ita natum esse*

Hisce quaestionibus itaque sublatis, ad alteram quaestionem multo sane graviorem pervenimus. Superest enim in rationem et modum inquirere, quibus infans e latere matris exierit.

§ 7.

*De modo quo infans exeat e latere.*

Ex iis quae de Talmudis confectione et argumento antea disserui, satis potest colligi, quare nullibi in Talmude obveniat descriptio, illustrens nascendi modum infantis *Jotze Dofan*. Loquuntur ubicumque Rabbini de *Jotze Dofan*, rei omnibus pernotae adinstar; et Compilator Talmudis non praevidit, quod hoc de verbo tantae dein exorirentur lites, quantae exortae sunt quum temporum vicissitudine significatio vera hujus vocis oblivioni completae fuerit tradita. Nobis itaque nil superest nisi confugere ad illos viros, qui aetati confectionis Tal-

mudis propiores fuerunt quam nos sumus. Audiamus ergo commentatores veteriores.

Raschi, cui jure merito maxima fides tribuitur, ad verbum „*Jotze Dofan*" (v. g. in *Nidda, fol.* 40 *a.*) notat: »Aperiebantur intestina ejus (mulieris) ope *Sam* (סם), et »eduxerunt foetum foras, et sanabatur (femina);" quibus verbis Bartenora quoque hunc locum explicat. In Tractatu *Chulin, fol.* 69 *b.* 7) Raschi τῷ *Sam* quoque addit »cultrum" (סכין); ergo èt *Sam* èt *cultro* inciderunt abdomen mulieris.

Licet praeclarus Raschi certe haec non dixerit sine jure, nostrûm tamen est inquirere num commentatio Raschi*i* cum mente Talmudis conveniat, nec ne? Est igitur quaestio, num ex ipso Talmude aperte pateat, ope illius »*Sam*" operationes fuisse institutas.

In Tractatu *Avodah Sarah*, *fol.* 28 *b.* sequentia legimus verba: »*Adducere faciunt aures in Sabbatho.* »R. Schemuël, *filius* R. Jehudae *docuit: manu quidem*

---

7) In illo loco disputant, num pullus bestiae mundae cujus una tertia pars trans latus exiit, et alterae duae tertiae partes per vaginam, num talis bestia sancta, tamquam primogenita, sit habenda nec ne? — Videtur casus fictus, et hìc modo allatus ut inserviret ad dijudicandam et illustrandam Mischnam, quae de membris pulli in utero matris dissecatis agit, num illa singula membra sacra sint vel profana. — Potest casus ille obvenisse, quod foetus, v. g. nimis magni voluminis, jam satis profunde in pelvin descenderat, sed tunc ob nimis magnum volumen exire non valebat. Hac in re pullum pro parte e latere eduxerunt, et tunc altera pars, foetûs volumine ergo diminuto, facilius potuit educi. — Haec non tam absurda essent ex mente scientiae obstetriciae illius temporis: quibus accedunt quod hic loci modo de pullo bestiarum agitur, dum de humano foetu nullibi tale quid memoratur.

»*sed non per τὸ Sam. Quaenam est ratio eorum,* »*qui dicant per τὸ Sam quidem sed non per manum?* »*quia illa* (manus) *facit incisiones.*" Illud »*Sam*" dolores fere nullos creare, patet ex Tractatu *Baba Kama* (*fol.* 85 *a*). »*Aestimant, quantum homo expendere vellet* »*ut manus, quae ab imperio proscripta, amputaretur vel* »*per τὸ Sam vel gladium?*" Explicat Raschi ita hunc locum: quantum homo, cujus manus a rege est proscripta, vellet expendere, ut manus amputaretur per τὸ *Sam*, quod non dolet, loco gladii. Videmus his ex locis, Rabbinis revera fuisse cognitum medicamentum quoddam, quo praeter cultrum in Chirurgia utebantur 7). Videtur tamen *Sam* solum non suffecisse: — postquam enim per aliquod tempus loco incidendo fuerit impositum, τὸ *Sam* iterum auferebatur et scalpello ceterae partes

---

8) *Sam* cum atramento, quocum scripserunt, commiscebant Rabbini (*Sabbath*, 104 *b*). Baal Aruch et Raschi illud *auripigmentum* interpretantur. Benjamin Mussaphia vero scribit in Additamentis ad Aruch, סם esse 1° *terram Samiensem*, cujus species quaedam valde utilis erat in morbis oculorum; vel 2° medicamentum, pharmacon, tam bonum quam malum — De vi medica Terrae ex insula *Samia*, Cf. Oribasius, *Medicin. Collect. Lib. XIII. Litt. Γ.*; Aëtii *Tetrabibl. I. Sermo II. Cap. VI.* Paulus Aegineta: *De re medica. Lib VII. Litt. Γ.* Utebantur veteres hac terrâ pro ulceribus phagedaenicis et ad haemorrhagias sistendas, praecipue ex utero. Pollebat virtute exsiccante et refrigerante. — In multis quoque locis Talmudicis *Sam* significat *Aroma*, *Venenum*, *Toxicon*; sic in *Nidda* (30 *b.*) narrant de סמא דנפצא, de veneno quodam quod abortum efficiat, et vulgaria sunt verba סם המות et סם החיים = *Pharmacon lethale* et *Pharmacon vitale.* — Errat vero Doct. Mansfeld, quando voce *Sam* intelligendum censet *instrumentum* quoddam nobis incognitum (*l. c. p.* 24).

dissecabantur; forsan ut citius absolveretur operatio, vel etiam quia timebant, ne medicamentum in ipsum abdomen intraret ibique noxas crearet.

Vetustiores commentatores de »*Sam*" semper faciunt mentionem; juniores vero de illo medicamento silent, et Maimonides solummodo cultri ope latus matris apertum dicit 9). Omnes Talmudis explicatores et commentatores qui post eum insurgebant, uno quasi ore testantur abdomen mulieris fuisse fissum vel (uti **Raschi** perhibet) ope medicamentorum et scalpelli, vel scalpelli solius (uti volunt Maimonides et Baal Aruch).

Sententia ergo nostra de modo, quo infans e latere matris exierit, fundamentis satis firmis videtur niti, et hinc errare mihi non videor, si statuam, talem infantem ex abdomine matris fuisse eductum duabus methodis; quarum prior eo constitit, quod, partibus externis medicamento quodam *(Sam)* antea dissolutis, subjacentes partes quae supererant, cultro dissecabantur; et altera, quod, omisso hoc remedio, statim scalpelli ope dissecabantur partes.

## § 8.

*Inquiritur, num fuerit Gastro-hysterotomia, quâ Jotze Dofan educebatur.*

Superest adhuc dubium, sc. num quidem *uterus* aperiretur hoc est, num vera fuerit *Gastro*-HYSTERO*tomia*, quâ infans *Jotze Dofan* in lucem prodiit? Locus sequens in *Nidda, fol. 41 a. et b.*, hanc in rem aliquam lucem

9) Maimonides ad *Nidda Cap. V. Mischna I.* »*Jotze Dofan*: i. e. quando mulier difficulter parit, lumbi feminae finduntur et infans ex eo loco exit." Ad *Bechoroth, Cap. II. Mischna XI.* »*Jotze Dofan*: finduntur hypochondria bestiae, et »exit exinde pullus; et faciunt illud uti in femina quae difficulter »parit et ad portas mortis pervenit."

spargit. Legimus ibi: „*Docuerunt Rabbini; mulier,* »*quae per tres dies difficultates ad partum sensit, et* »*infans exit per viam lateris, illa est parturiens fluens;* »*sed* R. Schimeon *dicit, illa non est parturiens fluens;* »*et sanguis, qui ex hoc loco* (ex latere) *prodit, est* »*immundus.*" Ratio sapientum est; ut infans exeuns e latere non sit verus infans, neque partus talis sit partus verus; et infans haemorrhagiam, quae durante partu obtinet, puram reddere non valeat. R. Schimeon autem illum infantem partum habet verum, et ergo contraria sapientum statuit (Raschi). Deinde disputatur de sanguine qui ex latere venit, sc. num mundus sit, nec ne? In discutienda hac re, duae ponuntur Theses, 1) »*sanguis venit ex utero* (per vias naturales) *et infans* »*per viam lateris exit.*" Hanc autem Thesin praeterimus, et ad alteram transimus, quae ita exponitur: 2) »*Sed* »*dixit* R. Joseph: (non est quaestio, quod sanguis e »vagina profluat et infans per latus prodeat), *sed est* »(quaestio, de casu) *quo èt infans èt sanguis per viam* »*lateris exeunt; et* (nunc) *disputant: num uterus loco* »*suo sit immundus,* (nec ne)? *Unus opinatur, uterus* »*loco suo est immundus; et alter opinatur, uterus loco* »*suo est mundus.*" Haec verba ita sunt interpretanda: nonnulli dicunt, sanguinem ex latere profluentem esse impurum, quia ex utero (partim) venit, et omne quod attigerit uterum vel quod ex utero proveniat, ex nonnullorum opinione est immundum; alii vero contrariam defendunt opinionem. Decisio autem ita est: *sanguis ex latere veniens est immundus; femina e contrario non est polluta ob partum;* nam nulla mulier polluta est »*nisi* »*sanguis veniat per viam pudendorum.*" *(Ib. Ib. Vid.* Maimon. *Hilchoth. Iss. Biah. Cap. X, Hal. 5.).*

Hoc ex loco itaque argumentum hauriendum esse credo, quod testatur *uterum* fuisse incisum sectione abdominis illa Rabbinica. Agunt nimirum Rabbini loco allato 1) de utero, et 2) dicunt, sanguinem e latere hoc in casu venientem, esse *immundum.* Ex ipsis verbis expressis igitur patet, uterum ipsum hic fuisse apertum; quomodo enim disputatio exsurgere potuisset, loco citato, de *utero,* »qui loco suo est *immundus*," nisi id sit verum? Et dein cogitandum est, sanguinis naturam *immundam* insuper probare, quod ille ex *utero* per vulnus foras penetraverat. Hinc statuo, *interdum saltem fuisse veram gastero-hysterotomiam, quâ infans Jotze Dofan nascebatur.*

Regio abdominis, quam incidere solebant Rabbini in instituenda gastero-hysterotomia, cero et ex veritate definiri nequit. Verbum דופן autem *latus* significat et parietem: igitur videri posset operatio instituta *sectione laterali*, verum etiam *sectione parietum abdominis* in universum. Omni casu autem nimis temera et definita est sententia doct. Mansfeld, qui statuit, incisionem eo tempore in *Linea alba* fuisse institutam.

*Conclusio ex praecedentibus*

Atque haec sufficiant ut probarem veritatem theseos, quam sequentibus verbis propono: *Talmudistae, ubi agunt de »Jotze Dofan"* (infante ex latere matris exeunte), *sufficientia documenta reliquerunt, ut nobis sit persuasum:* 1) *iis gastro-hysterotomiam in* vivas *bene fuisse cognitam;* — 2) *ea operatione aliquando infantem vivum fuisse eductum,* — *et* 3) *feminam nonnumquam huic operationi supervixisse.*

§ 9.

*Inquiruntur argumenta doct.* **Fuldae**, *qui gastro-hysterotomiae in vivas cognitionem Talmudistis abnegat.*

Audiamus nunc et alteram partem, et videamus quanti aestimanda sint argumenta, quibus doct. **Fulda** usus sit, quum gastro-hysterotomiae in vivas mentionem in Talmude negaverit. Omissis omnibus quae ad rem ipsam non pertinent, paucis contraham refutationem doctrinae doct. **Fuldae**.

Primum argumentum viri doctissimi illud est, quod *nullibi in Talmude mentio sit* ***factae*** *talis operationis, dum Talmudici ubicumque enumerare solent* ***facta***, *si iis praesto sunt.* Concedo: nullibi in toto Talmude inveniri narrationem de ***facta*** sectione caesarea in vivam; — sed enarratio facti alicujus tum aliquando obtinet, ubi de casu quodam rariore est quaestio 9). Neque mirum; nam tales res rariores indigent ulteriore confirmatione: — res autem omnibus rei peritis notae, factis non indigent ut earum fides pateat. Si itaque in Talmude deberemus negare Sectionem caesaream in vivas, quoniam **nullum factum** in hoc opere narratur, sed tantummodo fit mentio de eâ ut de operatione satis vulgari locis saepius supra citatis, — id quod nemini mirum videri potest, qui cogitet, Talmud non esse collectionem casuum medicinalium, sed tantummodo corpus juris medicinae quoque superstructum, — si (inquam) hoc facere vellem aut deberem, tunc quoque cognitionem Embryotomiae in Talmude negare deberem, quia non magis **facta** Embryotomiae Talmud offert. Num autem quis exsistentiam omnium istorum

9) V. g. in *Nidda*, 45 *a.* 32 *a.* 66 *a.*, *Ketub. fol.* 10 *b.* et sic pluries; sed sunt omnes casus rariores qui plerique his locis modo obveniunt. Hoc testantur ea quae de retentione placentae dicuntur *Nidda*, *fol.* 26 *b.* et de superfoetatione *Ib. fol.* 27 *a.* cet.

supellectilium negare vellet, quae Rabbini in Tractatu *Kelim* memorant, quae vero amplâ descriptione carent, quare nunc multa horum nobis sunt ignota? Num porro quis omnes illos morbos haberet fictitios, qui in *Gittin, fol* 69 *sqq.* nominantur? et quidem hac sola ex causa, quod historia morbi vel observatio adnexa non sit? Certe nemo ita aget! Ratio tamen, qua circa *Jotze Dofan* nullum factum in Talmude obveniat, quaerenda videtur sive in ipsius negotii familiaritate, — quod nempe omnibus Rabbinis fuit ita notum, ut necessarium non judicaverit Compilator Talmudis huic denominationi ulteriorem adjungere explicationem, — sive, quod melius videtur, in ipsius rei raritate, quâ Talmudistae varii temporis eosdem forsan casús in mentem habent, ubi de tali partu deque ejus juribus est quaestio. — Qui priorem sententiam defendunt, perhibere possent, Talmudistis statuentibus praeceptum circa aliquam rem, non semper facta adducenda fuisse, ut elucesceret fides fundamentorum, quibus tale praeceptum talisve Lex nititur: — sed si Talmudici praecipiunt quid ob casum aliquem rariorem, tunc veritatis stabiliendae causâ factum unum alterumve fundamentale adducunt, — uti supra plurimis in locis vidimus, v. g, ubi quaestio erat de Placentae retentione, de partu serotino, cet.

§ 10.

*Continuatio judicii nis opinionum doctt.* Mansfeld *et* Fuldae, *quod ad Mischnam in Bechor. fol.* 47 *b.*

Non minus grave primo intuitu videtur alterum argumentum, quo doct. Mansfeld et Fulda, uterque pro sua thesi, usi sunt. Sed nec unus, nec alter sequentem locum bene intellexisse videtur. Locus, quem volo, est Mischnah supra jam allata, quae obvenit in *Bechoroth, fol.* 47 *b.*, quaeque ita sonat: »*Qui exit e latere et qui post* »*eum venit, uterque non est primogenitus* (יוצא דופן והבא

»אחריו שניהן אינן בכור וכו׳») *nec pro hereditate nec pro sa-*
*»cerdote.* R. Schimeon *dicit: primus pro haereditate*
*»et secundus pro quinque Selaïm"* Ambo viri, jurantes in verba magistri Maimonidis, ex verbis illis *»qui post eum venit"* opinati sunt hoc loco esse sermonem de partu gemellorum, quorum unus per abdomen incisum matris exiit, alter per viam naturalem. Doct. Mansfeld (*l. c. p.* 18.), verba non stricte interpretans, sine ulla ratione ideo locum citatum ita vertit: »Bei einer *»Zwillingsgeburt* könne weder das erste Kind, *welches »durch den Wandeschnitt zur Welt gebracht werde*, »noch das nachherkommende das Recht der Erstgeburt, »weder beim Priesteramte noch beim Erben erhalten." Ex interpretatione meâ, quae stricte ad textum est facta, luculenter patet Mansfeldii interpretationem esse falsam. Recte ergo jam monuit doct. Fulda, verba *»Bei einer Zwillungsgeburt"* nullibi in textu esse scripta; et summo jure Mansfeldium vituperat, qui Talmudistis absurdam adscribit agendi methodum, quod sc. factâ Sectione caesareâ in partu geminorum, unum infantem modo per vulnus educerent, alterum vero intactum in utero relinquerent, ut is per viam naturalem nasceretur. — Licet ergo jure refutet doctissimum Mansfeld, vir doct. Fulda etiam graviter errat, quum exinde argumentum petat, quod *nemini Talmudistarum fuerit perspicua idea S^s. C^ae. in vivas, quemadmodum commentatores rem adeo confunderent, ut exinde nil redundet ad exsistentiam probatam hujus operationis.* Conclusio talis autem longissime a veritate distat; siquidem, — ut inter multa unum modo exemplum afferam, — eodem jure negare possemus, Ammonium Lithotomum non ignorasse *Lithotripsiam*,

quae nostris diebus, uti immerito vulgo credunt, inventa esset; — quoniam omnes commentatores et compilatores medii aevi nostrique temporis usque ad doct. Heurteloup cet. sive rem plane praeteriverunt, sive verba Celsi confuderunt cum vulgari *Lithotomiâ.*

§ 11.

Maïmonidis sententia de Mischna allata, refutatur.

Dixi doctt. Mansfeld et Fulda errasse, quia verba Maimonidis sua fecerunt. Videamus itaque primo loco verba ipsius Maïmonidis, quae dein illustrabo, respectu habito *et* ad textum ipsius Talmudis, *et* ad historiam sectionis Caesareae.

Maïmonides Mischnae allatae haec addit: »Quid »de eo (casu) cogitari possit, illud est: quod femina sit »gravida duobus infantibus, et finditur ejus latus, et exiit »unus eorum (per latus) et postea secundus exiit, uti vulgo »solet (per vaginam); et mortua est (femina), postquam »exiit secundus. — Sed quod dicunt nonnulli, feminam »vivere postquam findebant ejus latus, et illam iterum »gravidam fieri et parere, horum nescio rationem et est »argumentum valde absurdum."

Haec Maïmonidis verba duplici modo interpretari possumus: Maïmonides dicit, *nonnulli verba Talmudis ad locum citatum ita explicant*, quod statuunt feminam priorem infantem in lucem edidisse per Sem Cam, alterum vero infantem, subsequente graviditate genitum, per vaginam.

2) Sive Maïmonides dicit, — et illa explicatio melius mihi videtur respondere verbis auctoris, — *nonnulli statuunt*, — in universum, respectu non habito ad locum citatum Talmudis, — *feminam vivere* (חיה)

aliquando post partum Sectione Caesareâ terminatum, et sequente graviditate edere infantem per vias naturales. Quidquid autem sit, omni casu ex his verbis redundat, ante Maïmonidem (qui floruit seculo XII°) fuisse nonnullos, — et Talmudistas ita docuisse, audivimus supra, — qui statuerint feminam aliquando partu normali eniti infantem, quae anteriore partu Sectione Caesareâ liberata fuit. Priore casu autem res forsan magis theoretice, posteriore casu potius de facto est defensa. —

Ut nunc clarius pateat, Talmud (loco citato) revera agere de *secunda* graviditate, et de *secundo* partu, et non de altero infante unius ejusdemque partûs, ipsam Mischnam paullo fusius explicare lubet.

Mischnici quando dicunt והבא אחריו = »*qui post eum venit*," aperte tantum loquuntur de quodam infante qui »postea" venit, scilicet altero partu subsequente. Hujus nostrae opinionis fidem facit prior ejusdem Mischnae pars: habemus enim ibi: »*Quae abortit molam, plenam* »*aquae, plenam sanguinis, plenam colorum, quae abori-* »*tur species piscium, locustarum, reptilium et vermium* »והמפלת ליום ארבעים הבא אחריהם בכור לנחלה ולכהן" *et quae* »*aboritur die XL°.* (graviditatis), qui post ea venit »*est primogenitus pro hereditate et pro sacerdote.*" Iis in casibus, et praecipue in ultimo casu, abortûs dierum XL, nemo certe agi videbit de femina, simul cum illo abortu quadraginta dierum, infantem vitalem in lucem proferente! Sic quoque locus praesto est in *Baba Bathra, fol.* 111 *b.*, qui ita sonat: qui post *abortum* »venit, *illum esse primogenitum pro hereditate* (con- »stat); *nam ob eum cor ei (patri) dolet* (si forte obeat), »*excepto illo* (abortu) *propter quem cor ei* (patri) *non*

»*dolet* 10). Videmus ergo, hoc quoque loco iisdem verbis „*qui post venit*" usos esse Talmudistas, et quidem eodem sensu.

Hisce nunc perpensis, non errare mihi videor si statuam, quaestionem in nostra Mischna ita esse dirigendam: num infanti, quem femina quaedam per vias naturales enixa est, quaeque priore in partu infantem *per latera* peperit, — num tali infanti omnia tribuenda sint jura primogeniti, nec ne? Maïmonidi talis explicatio profecto non placuit, quia ex rationibus certe theoreticis credere non poterat, feminam tali operationi non solum posse supervivere, verum etiam in sequente partu infantem per vias naturales in lucem edere. Statuit quoque »feminam mox post illum suppositum gemellorum partum mori;" quod non solum ex ipsa Mischna non patet, sed cujus rei insuper in toto Talmude exemplum non invenitur.

Haec satis dicta sint, quod attinet ad textum ipsius Talmudis.

Historia artis obstetriciae comprobat nostram sententiam, feminam Sectioni Caesareae supervivere posse, Maïmonidisque doctrinam esse falsam: — nostra enim aetate plures casus innotuerunt feminarum, quae non solum huic operationi superstites manserunt, verum etiam exstant in quibus una eademque femina ter, imo quinquies, Sectionem Caesaream passa est. (*Vid.* Busch und Moser. *l. c. III. p.* 92. 93).

Altera tamen positio, quam ex Talmude hausimus, feminam scilicet quae Sectioni Caesareae supervixerat, in secundo partu infantem vivum posse parere *per vaginam*, haec certe valde absurda et vana foret, si secun-

---

10) Sic quoque in *Bechoroth*, in Mischna supra allata, *fol* 19 *a*.

dum hodiernas artis nostrae indicationes Sectionis Caesareae in vivas dijudicari deberet. Verumtamen, si in mentem adscribamus indicationes, quibus prioribus seculis post suppositam inventionem Sectionis Caesareae in vivas instituebatur haec operatio, tale quid saepe accidisse non mirum est. Et revera indicationes Sectionis Caesareae in vivas, quas v. c. Rousset, primus Snis Cae summus fautor, posuit, facile ansam dare debebant casibus, hodie vix obtinendis, antea vero frequentibus, feminam naturali partu edidisse foetum, quae jam antea Sectionem Caesaream subierat 11). A tempore enim

---

11) Franciscus Rousset sequentes posuit indicationes Sectionis Caesareae in vivas, in suo opusculo: Ὑστεροτόμοτοκια. *Seu de partu Caesareo Tractatus. Gallice conscriptus, labore et studio* Caspari Bauhini, *Medicinae Doctoris et Professoris Latinitate donatus.* Recusus in Spachii: *Gynaeciorum p.* 448 *sqq.* »Causae naturalem foetus exclusionem impedientes, hancque »incisionem necessarie reddentes plures atque diversae sunt, vel »enim in infantem vel in matrem referendae. Ratione quidem »infantis, si nimis crassus, magnusve, vel gemini aut plures sint, »qui una exitum quaerant, aut si mola carnosa sit conjuncta, »aut monstrum, aut si situ non convenienti prodeat, ita ut nec »sui ipsius, nec aliorum ope in pristinum melioremve situm »reduci possit. Vel si mortuus sibi ipsi, uti par esset, auxilio »esse non possit, vel tandem, si adeo intumuerit, ut ipsi per »viam consuetam exitus non detur. Ratione vero matris, si forte »via per quam foetus excludi debet, sit quam oporteat angustior, »id quod variis de causis usu venit.'' ......... »Si forte statim »a nativitate vel in sinu vel in collo vel in fundo uteri, aliquod »sit obstaculum,'' et porro »sub hoc etiam intelligimus vitium tale, »quod mulieri post nativitatem contingere potest, ut si forte ulcere »uteri aut cervicis ejus laborarit, ut hac ratione cicatricem aut »callum contraxerit.'' (In Cap. III. »quae causae partus naturalis ad hujus Sectionis Caesareae necessitatem nos impellant"). — Doct.

Rousseti inde operationis frequentia in vivas ita increvit, ut, testante Scipione Mercurio, suo tempore in Gallia tam generaliter fuerit cognita, quam in Italia Venaesectio in Cephalaeam (Osiander, *Pragmatische Geschichte der Entbindungskunst, pag.* 147). Non rari itaque seriori tempore fuerunt casus, quales in Talmude describuntur 12).

Ex his omnibus allatis, quaeque nemo facile in dubium vocabit, eodem jure statuere auderem, tempore jam Talmudicorum indicationes Sectiones Caesareae in vivas vix alias fuisse, ac illae, quae multa secula serius defendebantur.

## § 12.

*Aliud argumentum doct.* Fuldae *refutatur.*

Neque cum doct. Fulda tam singulare habeo, in Talmude semper sermonem esse de *producto* partus, nullibi

Simon testatur, in ipsa seculi XVIII. priore dimidia parte, indicationes non multo fuisse meliores; omnes nempe causas, quas auctores ante eum pro illa operatione attulerant, fuisse easdem quas Roussetus jam posuerat. *Mémoires de l' Acad. de Chirurg.* 1753. *T. I. p.* 648.

12) Ipse Bauhinus in appendice ad opus Rousseti adjunxit casum cognitum Nufferi, et narrat: »Eadem enim post »hancce τόμοτοχιαν, secundo gemellos enixa est, et post hos »gemellos quatuor alios liberos peperit.'' et non sine jure cl. Ed. von Siebold statuisse mihi videtur, illam primam graviditatem fuisse extrauterinam, quia etiam de sectione *uteri* ibi non fit mentio. Refert quoque Rousset (l. c. p. 451.) in historia II. historiarum ab ipsomet visarum, quod femina de quo illo loco agitur, in secundis nuptiis »rursus concepit et feliciter, »naturali modo, filiam enixa.'' Ita etiam in historia III. »dein »biennio post filiolam commode enixa et altero postmodum biennio »filium, cui nomen erat Petro de la Garde peperit,'' et in historia V. »post modum rursus gravida reddita, naturali modo »foetum enixa est.''

autem de *femina, cui abdomen fuerit apertum.* Vidimus enim omnibus locis quibus in Talmude partûs negotium illustratur, semper tribui partem multo magis activam infanti, quam ipsi parturienti. Omnia quae de partu normali et abnormi supra dixi, abunde id probant.

§ 13.

*Tertium argumentum ejusdem rejicitur.*

Nullomodo consentire vellem doct°. Fuldae, Sectionem Caesaream in vivas non respondere menti Rabbinorum, quia vitam infantis nihili aestimarent, si cum vita matris collidat. (Fulda *l.* c. *p.* 28 *sq.*). Argumentum hujus thesis inprimis ex ea Mischna in Oholoth *VII b.* petit auctor, ubi »Talmud perforationem infantis vivi juberet, quia foetus in utero nondum est *Nephesch.*" Vir doct. itaque statuit, ideo Sectionem Caesaream in vivas non respondere menti Talmudicorum, quoniam semper infantem necaverunt, ubi quaestio fuit de salute sive matris, sive infantis.

Si autem illas Talmudistarum rationes in memoriam revocemus, quibus ducebantur ad foetum in utero materno interficiendum, quaeque supra attuli (Vid. p. 143 *sq.*), quisquis certe mecum consentiet, hanc quaestionem non ita dijudicandam esse, uti doct. Fulda opinatus est. Nam si vitam infantis parvi habuissent Rabbini, nonne tunc jam citius infantem dissecassent in utero, antequam casus tam desperatus evasisset, ut metus oboriretur quoque de vitâ ipsius matris? Nonne multi adhuc hodie sunt, qui tali in casu vitam matris vitae infantis anteponant? Et crederemus ergo ex mente hodiernorum non esse Sectionem Caesaream in vivas? Et quisnam argumento illo uteretur, quo probaret Gastero-hysterotomiam

in vivas ex mente nostrae aetatis non esse, quia infantem in utero non tanti habent quam infantem natum; quemadmodum omnes fere legislatores hodierni eam mitiori poenâ mulctari velint, quae infantem in utero necaverit, quam quae infantem natum occiderit! Et nunc rogo, num Talmudistae vitam infantis in utero tam parvi habuerint, quam doct. F u l d a perhibet? Sunt sane quae contrarium nos doceant. Si enim foetum in utero nihili aestimarent, quare Sabbathum violandum jubent, et pollutioni cadaveris se exposuerunt aliaque praecepta religiosa sibi sacra transgressi sunt Talmudistae, quum applicarent Legem Regiam die Sabbatho, — nisi fuerit solus scopus ut, emortuâ matre, vita foetûs servaretur, quam (uti vidimus) tali casu maxime dubiam habuerunt? Et licet hac de vita valdequam dubitassent, nihilominus tamen expressis verbis admonent, feminae mortuae abdomen aperire, ne rei essent necis infantis, quem forsan servare potuissent! Vitam talis foetûs (Cf. eund. locum) aequiparant vitae dubiae alicujus hominis adulti, qui in Sabbatho subito lapsu lapidum plectebatur. (Vid. *Eirchin, fol.* 7 *a. et b.*) 13).

13) Neque cum veritate conveniunt, quae F u l d a insuper affert ad demonstrandum quam minimi habuerint Rabbini vitam foetùs. Dicit, Talmudistas statuisse necem infantis morte non mulctari, nisi vixisset *saltem unum diem.* Haec nullibi in *Sanhedrin*, *fol.* 52. leguntur, — doct. F u l d a autem hunc locum affert; — sed in Mischna, in Tractatu *Nidda*, *fol.* 44 *a.* legimus: »*qui necat in-*»*fantem unius diei*, *reus est.*" Addit Gemara huic Mischnae: »*quia scriptum est:* »*et aliquis qui necat omne Nephesch*" ergo qui necat *Nephesch* mortis est damnandus. Et quum infans, cujus caput in vagina (in exitu) est, *Nephesch* jam habetur, ille quoque capitis erit damnandus, qui infantem, *cujus caput in exitu est*, necat. Ergo hoc etiam argumentum cadat, necesse est.

## § 14.

*Talmudistae non valde periculosam habuerunt operationem.*

Si porro cogitemus, — uti supra dixi. – quaenam indicationes Rabbinos fortasse impulerint ad instituendam Sectionem Caesaream in vivas, num tunc quidem suspicari possumus, illam operationem a Talmudistis tam periculosam fuisse habitam, quam nos hodie eam habemus? Ex differentia enim quae exstat inter indicationes veterum et hodiernorum, prognosis operationis diversa facile explicatur, et faustior debuit esse prognosis veterum; — quae omnia èt Mansfeld èt Fulda in censum non adscripserunt. Ambo igitur erravisse mihi videntur quum Sectionem Caesaream Rabbinicam judicaverint secundum scientiam hodiernam, quae indicationes hujus operationis tantopere restrinxit.

Aliud argumentum, quo patet Rabbinos tales operationes graves non habuisse lethales, petitur ex iis, quae supra, pag. 43, § 4 narravi (ex Tractatu *Bechoroth*) quaeque ad rem veterinariam pertinent: — eo loco agitur de vaccis et suibus; et ex similitudine quam quaesive runt quoque Rabbini inter viscera humana et suilla, certe debuerunt opinari aequalem operationis effectum in humanum genus eamque satis tuto institui posse 14).

---

Neque omnes Rabbini inter se consenserunt in termino quo infans natus abortivus habetur; quia propter talem infantem signa omnia tristitiae non peragenda sunt. (Vid. *Nidda*, *fol.* 44 *b.*)

14) Ob similitudinem inter viscera hominis et suis, nonnulli jejunârunt, si epidemia inter sues grassaretur; timentes, ne ob illam similitudinem talis epidemia humanum genus quoque infestaret. Cf. Tractatus *Taanith*, *fol.* 21 *b.*

## § 15.

Ipse autem **Fulda** tandem **Mansfeldio** assentitur „Rabbinos quidem *aliquam ideam* habuisse Sectionis „Caesareae in vivas:" credit vero, hanc ideam phantasiâ illorum virorum esse productam. Omnia vero quae hac de re profert, aperte probant ejus studium, omnibus quae modo praesto erant hypothesibus utendi, ut probaret incognitam fuisse Talmudistis Gastero-hysterotomiam in vivas. Rationes doct. **Fuldae** cuivis lectori Talmudis imperito, verissimae primo intuitu atque pulcherrimae videntur, et hanc ob causam plures postea ejus opinionem promulgaverunt. Concedo quidem, Rabbinos non raro nimis indulsisse phantasiae, praesertim in parte *Hagadica* Talmudis; in *Halachica* 15) autem parte parciores phantasiae flosculi observantur; et omnium minime praesertim ubi praecepta tulerunt tanti momenti, ac sunt praecepta de juribus infantis *Jotze Dofan*. Sique ex Sectione Caesarea in mortuas ad instituendam operationem in vivas impulsi fuerint, quaestio sese offert quare in tota **Mischna** de operatione in mortuas nulla exstat mentio, dummodo semel in **Gemara** memoratur? Praecepta e contrario quae spectant ad ipsum infantem *Jotze Dofan*, per totam Mischnam et Gemaram sunt dispersa, — ob rationes supra expositas.

*Origo Sectionis Caesareae Rabbinicae in vivas secundum* Doct. Fuldam, *refutatur.*

## § 16.

Ex omnibus quae de quaestione nostrâ protuli, redundat sequens positio: *Revera ex Talmude evictum*

*Conclusio.*

15) In parte *Hagadica* Talmudis agitur de ratiocinationibus, in *Halachica* autem de decisionibus.

*est, Sectionem Caesaream in vivas non solum fuisse cognitam Rabbinis, sed eos aliquando quoque hanc instituisse operationem, et quidem, nonnunquam felici eventu èt matri èt infanti.*

Minus autem elucet, quomodo post aeram Talmudistarum, posteritas istius auxilii plane fuerit oblita, licet ex hisce temporibus per totum medium aevum e gente Israëlitica tot et tanti exorti fuerint Medici. Nonne vero eadem sors fuit *Versioni in caput*, operationi obstetriciae tempore Hippocratis prae aliis omnibus cognitae et divulgatae; quaeque tamen adeo in oblivionem venit, ut seculo demum proxime praeterlapso quasi de novo debuerit inveniri et excogitari? Forsan etiam fata adversa, quibus per haec eadem secula gens Hebraea continuo plectebatur, et miseriae eam perprimentes, suas quoque hanc in rem contulerunt partes. Quod autem majoris videtur ponderis, invito permagno Hebraeorum Medicorum numero, perpauci tamen inter eos Artem obstetriciam medio aevo excoluerunt: et hinc factum erit, ut inter plura bona consilia, quae in Talmude in usum Obstetricantium continentur, praecepta quoque in oblivionem fuerint deducta, quae ad nostrum argumentum pertinent.

# EPILOGUS.

Argumento hujus Dissertationis ad finem perducto, superest judicium universale ferre de iis, quae ad rem gynaecologicam spectantia in Talmude Babylonico obveniunt. In pertractandis singulis argumentis maximam eorum partem, tam ex veterum quam ex hodiernorum scientia, illustravi: nunc autem paucis inquirere oportet, num ex allatis quae in Talmude Babylonico offenduntur, gynaecologicis, ferri possit judicium, utrum hoc respectu Talmudistarum scientia aliorum veterum scientiae postponenda sit, vel anteponenda.

I Uti mos erat apud omnes gentes antiquas omnesque medii aevi populos, imo adhuc multo serius, — sic etiam Hebraei tempore Talmudicorum in partûs negotio *plerumque* Obstetricibus utebantur.

II. Exploratio partium genitalium autem saepe etiam *a viris* instituebatur; qua institutione ab omnibus antiquitatis populis divergebant, inter quos illud munus unice feminis erat mandatum.

III. Perpauca de Anatomia partium genitalium muliebrium in Talmude obveniunt, quae praeterea parabolico scribendi modo satis obscura sunt. Illa vero quae occurrunt, satis demonstrant, Talmudistis non parvam

fuisse scientiam harum partium. Imo mentionem faciunt nonnullarum partium, v. c. Hymenis membranae et Clitoridis, quas antecessores fere non memorant, quaeque egregie testantur, illos studio quoque ipsius naturae fuisse deditos.

IV. Non solum omnibus antecessoribus et aequalibus, verum etiam plurimis auctoribus qui tempore multo seriore eandem rem pertractarunt, antecellunt Talmudistae illis notitiis, quas nobis reliquerunt de evolutione nonnullarum embryonis humani partium, in prioribus stadiis graviditatis. Quae talia in Talmude occurrunt, e natura plerumque sunt depromta, licet nonnulla profecto offendantur, quae observata quidem sunt sed male dijudicata. Ea vero cum omnibus veteribus communia habent, quae docent de conformatione foetûs, et de vario tempore, quo haec absolvitur pro differentia sexûs; nec a nonnullis discrepant medicis priscis, qui agunt de vitalitate foetûs octimestris, de partibus quas sive semen virile, sive semen muliebre in efformandum foetum agit; dum notitiae appendicum foetûs valde sunt vagae et obscurae, quo facto se profitentur idea clara harum partium non imbutos. — Placita quae traduntur de animatione foetûs, ejus situ, nutritione et vita, pro parte demonstrant Rabbinorum familiaritatem cum dogmatibus Romanis Graecisque.

V. Nemo certe Rabbinis observandi diligentiam abnegabit, monstra plurima describentibus, quae ante eos a nullo alio auctore sunt memorata, quorumque magna pars nostra ipsa aetate obvenit. Nihilominus et hac in re Talmud criteria habet sui temporis.

VI. Idem fere valet de iis, quae ad molas in Talmude spectant. Neque in illis desiderantur non-

nulla, Talmudi omnino peculiaria, et a nullo antecessore vel aequali depromta; quae omnia sagacitatem Rabbinorum optime vindicant.

VII. Rabbinis opinio fuit communis plurium antiquitatis gentium, quod ad progeniem multiplicem: — hinc subtilis Talmudistarum inquisitio signorum organicorum virginitatis et nubilitatis, cujus maxima pars omnino iis est propria, quaque in re eos a nemine veterum scriptorum superatos crederem. Hic et illic vero aliquae notae occurruut, quae Graecam praecipue originem arguunt.

VIII. In iis, quae de sterilitatis symptomatibus physicis dicuntur, multa desiderantur quae ab aliis veteribus non omissa sunt.

IX. Multae sententiae sic dictae Hippocraticae et Aristotelicae correctae et amplificatae occurrunt inter illa quae de menstruatione in Talmude dicuntur. Nullus vero Medicus totius antiquitatis symptomata instantium mensium tanta veritate descripsit quam Rabbini; dum pusillam Rabbinicam investigandi methodum optime cognoscas v. g. ex variis coloribus, quos sanguini menstruo tribuunt; qua vero in re jam alii Medici iis pro parte praecesserant.

X. Licet et alii veteres multas theorias formaverint, theoriis Talmudistarum similes, de conceptione et graviditate, Rabbini tamen alio modo exponunt suas sententias, multaque in his doctrinis sed non omnia, vera et propria invenies. Inter alia, eorum graviditatis computatio firmis et justis nititur fundamentis.

XI. Non multa de abortu occurrunt, et pauca Talmudistis propria sunt, exceptis forsan quae de haemorrhagiis et de doloribus praecipiunt. Graecae eruditionis in Talmudicam doctrinam vis patet ex iis, quae de seminis effluxu docent.

XII. Ratione habita ad dignitatem argumenti, perpauca modo in Talmude de partûs negotio offenduntur. Ex nonnullis quae traduntur, suspicio oriri potest, viros nonnunquam partui normali adstitisse, quo more ab omnibus fere priscis populis divergerent. Hausimus simul ex Talmude certas notitias, omnium forsan vetustissimas, cujusdam sellae obstetriciae: — dum Talmudicorum qualiscunque doctrina de mechanismo partûs; de modo quo caput exit, et de habitu vario capitis pro sexûs differentia, iis plane est propria: — quibus addenda sunt quae praecipiunt de curâ infantis asphyctice nati, de signis nonnullis diagnosticis aperturae uteri, cet. Conveniunt vero cum aliis priscis Medicis qui ante eos vixerunt, in iis quae perhibent de normali situ infantis, de partu difficiliore puellae, cet.

Quae partem artis obstetriciae technicam spectant, valde sunt vaga et succincta; quorum fidem testantur ea quae de Embryulcia et Extractione foetûs occurrunt; sed ratione habita ad argumentum Talmudis illud vix mirum. In his ergo multis aliis veteribus postponendi sunt. Propiis vero observationibus Talmudistae casum *primum* (?) vagitûs uterini memorant, casus retentionis diuturnae placentae, uti et infantis morti matris superviventis; dum inter omnes veteres primi fuerunt qui commemorent versionem spontaneam et etiam partum siccum. Quia vero infantem etiam vivum in utero dissecârunt, neque de ullo consilio patet, quo retentionem placentae curarent, nonnullis aliis priscorum iterum sunt postponendi. Neque Talmudistis solis propria sunt quae leguntur de situ perverso infantis, de partu serotino, de sectione caesarea in mortuas, cet.

XIII. Denique Rabbini revera Sectionem Caesaream in vivas cognoverunt et forsan instituerunt; quod auxilium nulli alii Medico totius antiquitatis fuit cognitum, et per multa secula obstetricatoribus latuit.

---

Ex his omnibus denique redundat:

1) Multa quae ad Gynaecologiam et Artem obstetriciam faciunt, in Talmude Babylonico offenduntur peregrinam testantia originem.

2) Plura etiam quae summi sunt momenti, vel desiderantur, vel ab aliis Medicis veteribus melius exposita sunt.

3) In universum vero, omnibus rite perpensis, debemus, concedere Rabbinis fuisse observandi ingenium praeclarum; simulque confiteri, eos opportunitate quae praesto erat, bene fuisse fructos, observataque saepissime optime dijudicasse.

4) Laudes summas merentur Rabbini, inter quos plures exstiterunt Naturae scrutatores, contemplatores et observatores sagacissimi, Naturae sua jura tribuentes, et pro aetate qua vixerunt in multis autecellentes aliis Medicis.

TANTUM.

## CORRIGENDA.

Pag. 3. versus 24. J e r e m j a *lege :* J e r e m ij a h
— 4. —— 15. descriptinem — descriptionem
— 9. —— 14. erim — enim
— 15. in annot. v. 10. *generatioum* — *generationum*
— 33. —— v. 5. οτο — toto.
— 68. —— 21. adde verbis : *tradunt Talmudici*, verba : (in Nidda, fol. 25 a.).
— 66. versus 1. *mihi docuit* *lege :* *me docuit.*
— 81. —— 8. התחתו — התחתון
— 98. in margine *quorum* — *quarum*
— 114. versus 16. *sublata sunt* — *sublati sunt.*
— 138. ann 29) v. 4. E r e c h i c l i s — E z e c h i ë l i s.
— —— —— — 7. cenahanaeorum — Cenahanaeorum.
— 165. versus 7 supervixi — supervixit
— 173. in margine ad § 10. *Continuatio judicii- nis opinionum* *lege :* *Continuatio judicii opinionum.*

Cetera ignoscat L. B.

# THESES.

I.

*Eclecticus medicus, optimus.*

II.

*Conceptio potissimum fit eo tempore, quando menstruatio vix cessavit.*

III.

*Dolor, pressuram cujusdam vertebrae dorsalis insequens* (Tenderness), *non efficit irritationis spinalis symptoma pathognomonicum.*

IV.

*Meam non facerem sententiam, quae majorem nostrae aetatis scrophuloseos frequentiam insitioni variolarum tutoriarum adscribat.*

V.

*Egregie* BAGLIVIUS: »*Parcat igitur ignarum vulgus, parcant et medici tantis remediorum formulis: nam saepissime quies lecti et quies a negotiis, ipsaque demum a remediis abstinentia morbum jugulat, quem usus illorum frustraneus magis exacerbaret.*"

VI.

*Febris intermittens pura, neurosis mihi videtur.*

VII.

*Causa proxima morborum, ita dictorum mentalium est organica.*

VIII.

*Consentio Talmudistis dicentibus: »Nemo ducat uxorem ex familia epilepticorum."* (Jevammoth, fol. 64 *b.*)

IX.

*Sellae obstetriciae antiquissimis temporibus jam adhibitae sunt.*

X.

*Talmudistae ubi agunt de* »Jotze Dofan" *(infante ex latere matris exeunte) sufficientia documenta praebuerunt, probantia,* 1) *Gastero-hysterotomiam in vivas instituendam, iis bene fuisse cognitam; —* 2) *per eam operationem aliquando infantem vivum fuisse natum; et* 3) *feminam nonnumquam huic operationi supervixisse.*

XI.

*Ad Tenotomiam aliquando applicare possemus illud* LICHTENBERGII*: »Es ist heut zu Tage nicht »selten dass Jemand ein Blumenkörbchen ankün- »digt und Kartoffelsäkchen liefert."*

XII.

*Pyromania sic dicta ab imputatione non liberat.*

